COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXVI. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH

Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Acta Medicorum Suecicorum, ſeu Sylloge Obſeruationum et Caſuum rariorum in variis Medicinae partibus, praeſertim in Hiſtoria Naturali, Praxi medica et Chirurgia. Tomus I. Cum XIX. Tabb. aeneis. Upſaliae Holmiae et Aboae. MDCCLXXXIII. 8. Alphab. I cum plagg. 8.

Praemiſſis b. A LINNE' et ROSENSTEIN vitae deſcriptionibus, quales ſingulis Tomis praemittere decreuit, varios hoc Tomo publici iuris facit anonymus Auctor libellos collectos, quorum obiectum titulus indicat. Sectio prima hiſtoriam naturalem ſpectat, et recenſitas a nobis diſſertationes Cel. THVNBERGII de Protea, Oxalide, Gardenia, noua Plantarum Genera, *) nouas Inſectorum ſpecies, ac b. A LINNE', Filii, de Lauandula et Methodum Muſcorum illuſtratam continet typis recuſas. In altera, Medico chirurgica, ſequentes continentur obſeruationes.

L. I. SIDRE'N *Sphacelus cruris:* Haemorrhoidario, cholerico, 50 annorum, poſt febrem autumnalem remittentem, adhibitis antea in caſſum ſudoriferis, Cortice peruuiano ſublatam, inſecuta ad ſudorem pronitate nimia, cum turbata digeſtione doloribusque colicis, paralyſi, linguae demumque p. 5. p. 293.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 637 — 646.

apoplexia correpto, praeuia paralyſi totius cruris pedisque dextri natus, vſu externo internoque Corticis Peruuiani eatenus mutatus, vt amputatio et ſanatio obtinerentur, aſt poſtea rediit cum inſultu apoplectico, quibus obiit aeger.

P. II. p. 303. II. EBERH. ROSENBLAD *Morbus ſpasmodicus conuulſiuus epidemicus:* Poſt aeſtatem humidam, tempeſtatibus etiam variam, anni 1745 et 1746 in Prouinciae Elfsborgenſis locis quibusdam ortus, poſtvaria ſymptomata haemoptyſi indeque orto pure acerrimo ſaepe necans, ſimilis illi, quem dudum alibi obſeruarunt Medici non pauci, a formicationis per habitum corporis ſenſu denominatum, praeſertim a panis e recenti frumento parati eſu oriri viſus, pecaliari tribuitur veneno, inordinatum ſpirituum per neruos motum excitanti, in frumentis, vel ſaltem inter frumenta, quaerendo, vulgo ab erucis frumenti male repurgati oriri putatus, deſcribitur quoad ſymptomata, cauſſas, prognoſin et curationem, euacuantibus et datis poſtea acre temperantibus, antiſpasmodicisque anodynis abſoluendam.

p. 333. III. AD. MVRRAY *Oſteo-Steatomatis Hiſtoriae duae.* Alterum Matronae poſt varia ſymptomata calculi aliaque demum hydropico ſtatu obire viſae vteri, penitus ſcirrhoſi, fundo affixum repertum, glebis fruſtulisque diuerſae magnitudinis conſtans, partim cartilagineis, partim vere oſſeis, ad magnitudinem capitis recens nati infantis enatum; alterum matronae femoris oſſi ſiniſtro ſupra genu adnatum, ipſi ex parte limiliter mutato, ſteatomati ſimillimum, diuerſae tamen in diuerſis locis ſoliditatis, in confiniis ipſius oſſis et ex perioſteo originem traxiſſe viſum.

IV. G. HARMENS *de calculis biliosis.* Caſus mali arthritici coniuncti cum calculis cyſticis, poſt varia ſymptomata tandem per aluum eliminatis, cum flaueſcente muco, ipſis candelae admotis, ſuccini inſtar, ſponte deflagrantibus, vllo vix relicto carbone, quos

quos magna ſecuta eſt cum ſcybalis concrementorum gypſeorum albicantium ad candelam flagrantium copia, quandoque etiam excrementa argillacea veluti et friabili materia obducta prodierunt; Aegra tandem adeo conualuit, vt acidulis martialibus demum prorſus ſit reſtituta.

V. N. ROSE'N A ROSENSTEIN. *Caſus pleuritici cum motu Pleuropneumoniae;* lege artis deſcriptus. p. 361.

VI. ION. SIDRE'N *de Nuce vomica experimenta:* Puero epileptico poſt fruſtra tentata emetica, anthelminticaque, ad grana 5 vsque ad 8 bis de die incaſſum data; aſt iuuenem ruſticum conuulſiuum, aucta paullatim doſi, tandem ad grana 15 bis die data ſanauit; ſic et pueri nobilis conuulſionibus, fruſtra adhibitis anthelminticis, euacuantibus, rel. grana 8 bis die per 14 dies data medelam attulerunt, puellae ruſticae 7 annorum conuulſiuos paroxyſmos grana 6, ter die data, elapſis tribus ſeptimanis, mitigaſſe rariores-que effeciſſe viſa ſunt; vti et iuuenis ruſticus epilepticus a granis 10, vsque ad 24, bis die die ſumtis, praeter vertiginem leuiorem, nil mali ſenſit, aſt abeuntis curatio continuari non potuit. Sequuntur experimenta in canibus inſtituta, nucis vomicae tam in ſubſtantia, quam ſub forma extracti aquoſi datae, dummodo doſis ſufficeret, vim deleteriam confirmantia, cui ſimilem exſeruit Faba St. Ignatii, cuius igitur doſes iuſto largiores ne propinentur, monet Noſter, qui ex allatis quoque concludit, Nuci vomicae, iuſta doſi datae, non infimum competere inter antiſpaſinodica locum, ac vim deleteriam non a ſumma eius amaritie, ſed narcotico principio latente prouenire, cum alia amara, canibus data, ſimilem effectum non produxerint. p. 369.

VIII. EIVSDEM tractatus *de caſu haemorrhoidali:* fruſtra tentato Cortice Peruuiano, motu olim conſueto, leni euacuatione, diaeta cauta, Decocto et Extr. Taraxaci, ac, inſtantibus iterum molimi nibus, pilulis bal- p. 383.

famicis medela eſt allata, vt tamen etiamnum quoli-bet plenilunii tempore, interdum etiam inſtantibus ſubitis aëris viciſſitudinibus, recurreret fluxus, quo recuſante non parum commodi ex hirudinum vſu ſenſit, vt doloris capitis et aurium tinnitus a V. S. verna autumnalique leuamen.

p. 393. IX. AD. MVRRAY *de ſenſibilitate oſſium morbo-ſa:* Oſſa in ſtatu ſano inſenſibilia, morbo ſenſibilia fieri, rationibus et experimentis comprobat. *)

p. 407. X. ION. SIDRE'N *Caſus Hydropis Pericardii ſolidarii:*

p. 413. XI. CASP. TRENDELENBVRG *Caſus Pedarthrocaces:* internis externisque variis, praeuia exfoliatione, obtinebatur ſanatio.

p. 419. XII. AD. MVRRAY, *Luxatio ſpinae dorſi, aqua frigida curata,* ſtillicidii ſcilicet inſtar applicata, fruſtra antea tentata repoſitione; disiunctae fuerant, a ſe inuicem vertebrae dorſi vltima lumborumque prima.

p. 427. XIII. EBERH. ROSENBLAD *Empyematis fiſtulae per metaſtaſin ſolutio:* accedens poſt fracti, licet ſanati, pedis occultas prorumpentesque exulcerationes, empyema dextrae thoracis cauitatis, fluctuatione adeo circa regionem ſcapulae atque thoracis audienda, metaſtaſi ad fiſtuloſa cruris pedisque vlcera ſponte ceſſauit.

p. 435. XIV. CAR. M. BLOM *Obſeruationes de Aëre et Morbis epidemicis, in Dahlekarlia Suecorum, ab initio anni 1772 ad finem anni 1773:* tempeſtatem morbosque, ſingulis menſibus obſeruata, ſummatim recenſentur.

p. 481. XV. A. MVRRAY. *Paracenteſis Cyſtidis vrinariae;* Iſchuriam pertinacem, variis externis, adeoque Cathetere, quin acu tricuſpide FOVBERTI per perinaeum immiſſa et incuruata FLEVRANTI per anum transfixa, fruſtra tentatis, factam in regione hypogaſtrica, prope lineam albam, intruſionem tricuſpidis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 527. et dec. III. Suppl. 3. p. 505.

dis inſecuta eſt circum tubum ſanatio, vt extracto epiſtomio vrinam emittere potuerit, optime abinde ſe habens, antea morti proximus, aeger.

II.

D. CH. FR. REVSS Med. Prof. Publ. in alma Eberhardino-Carolina acad. Nat. Curios. Regiae Danicae ſcientiarum eiusque oeconomicae, elect. Moguntinae, Lipſienſis oeconomicae; Tigurinae phyſicalis; et Berolinenſis amic. Nat. Scrutatorum ſodalis, Primae Lineae Encyclopaediae et Methodologiae vniuerſae ſcientiae medicae et theoreticae et practicae omniumque eius ſcientiarum tam praeparantium quam affinium ac ſubiunctae cuiusvis hiſtoriae litterariae. Tubingae 1783. 8. pagg. 570.

Nova haec discendi medicinam methodus ad exempla librorum praeſtantiſſimorum HERM. CONRINGII, BOERHAAVII, LVDWIGII, GRVNERI, SELLE et aliorum conſcripta et exarata, non potuit non ad ipſam avide legendam nos invitare. Indicat vero cuiuslibet disciplinae medicae, et quae praeparat, et quae ipſa artis praecepta proponit, ambitum et vtilitatem, examinat quae inprimis praeſtanda adhuc ſuperſint, et diligenter annotat libros ſupra qualibet diſciplina ſcriptos. Sed cum talis liber vix praecipuorum contentorum recenſionem admittat, maluimus potius ipſius ſciagraphiam cum lectoribus noſtris communicare. En itaque ſynopſin omnium diſciplinarum ad ſcientiam medicam ſpectantium:

I DISCIPLINAE PRAEPARANTES

A. Vniverſales

a) *Philologia*, ſtudium linguarum veterum et recentiorum.

b) *Philoſophia*
1) theoretica ſ. ſpeculativa, logica, metaphyſica.
2) practica, Moralis ſ. Ethica et Ius naturae.
c) *Matheſis* tam pura, quam applicata.
d) *Artium liberalium* et ſcientiarum elegantiorum quaedam partes.

B. Speciales
a) Scientia naturae de corporibus naturalibus in tellure obviis, cuius ſcientiae ſubſidiariae ſunt:
1) *Phyſica* (quoad ſtructuram externam corporum immutatam)
α) theoretica l. pura et
β) practica l. applicata ſpecialis medica
2) *Chemia* (quoad internam ſtructuram mixtionem corporum mutatam)
α) theoretica l. pura
β) practica l. applicata: et haec quidem vel *phyſico-medica* vel *oeconomica*. E chemica applicata phyſico-medica huc referenda eſt *anthropologica*, ex hac 1) phyſiologica, 2) pathologica, 3) diaeteticа, 4) therapeutica. Therapeutica ſubſidiorum comprehendit chemiam applicatam.
α) Therapiae generalis, β) materiae medicae, tam internae, quam externae et diaeteticae, γ) pharmaceuticam, δ) formularem, ε) forenſem.
3) Anatomia, organicam ſtructuram externam et internam corporum naturalium conſiderans, e qua huc referenda
α) *Zootomia*, et ex hac inprimis *anthropotomia* et ſani et aegri hominis.

β)

β) *Phytotomia.*

4) *Phyſiologia* vires et vſum partium ſingularum in ſtructura et externa et interna corporum naturalium disquirens, et quidem

α) Phytologica ſ. phyſiologia plantarum.

β) Zoologica ſ. phyſiologia animalium, et ex hac inprimis anthropologica.

γ) Mineralogica ſ. phyſiologia mineralium.

5) *Hiſtoria naturalis* denominationem, deſcriptionem, ordinationem corporum tam diverſorum naturalium determinans.

α) theoretica ſ. pura, Terminologiam characteriſticam *Botanices*, *Zoologiae*, *Mineralogiae* comprehendens.

β) practica ſ. applicata, *botanica*, *zoologica*, *mineralogica.*

a) *medica*, et quidem in materia, 1) diaetetica et 2) medica tam interna, quam externa.

b) oeconomica.

b. *Hiſtoria medica* res in foro medico geſtas enarrans;

α) dogmatice, et quidem tam generaliter, quam ſpecialiter.

β) litterarie — —

γ) biographice

II. DISCIPLINAE MEDICAE PRINCIPALES, quibus in ſtatu ſano et aegroto conſideratur humanum corpus.

A. *Theoreticae*

a) in quibus corpus conſideratur humanum quoad ſtatum ſanum, comprehendunt iterum inter ſe.

α) *Phyſiologiam anthropologicam.*

β) *Semioticam phyſiologicam.*

γ) *Diaeteticam* ſ. doctrinam ſanitatem 1) conſervandi et 2) praeſervandi ope mediorum, quae materia diaetetica ſuppeditat.

b) in quibus humanum conſideratur corpus, quoad ſtatum aegrotum, continent

α) *Pathologiam* ſ. doctrinam affectuum,

1) tam generalem

2) quam ſpecialem, quoad noſologiam ſemioticam, ſymptomatologiam, aetiologiam.

β) *Therapiam generalem*, quoad

1) media *interna*, in materia medica interna tradita.

2) media *externa*, tam materia medica externa ſ. chirurgica, quam inſtrumentalis, mechanica, comprehendens.

3) quoad horum mediorum vim et modum efficiendi *Therapiae generalis ſtrictioris* praeceptis.

B. *Practicae* diſciplinae, quae applicationem continent ipſam, omnium ſcientiarum tam praeparantium, quam principalium medicarum ad corpus humanum

a) affectum morbis, mediis inprimis *internis* tollendis ad *Therapiae ſpecialis et ſpecialiſſimae* principia

b) — — — — — mediis praecipue *externis* vel *operationibus* auferendis, ad *chirurgiae* principia, *Embryulciam* ſeu artem obſtetriciam ſimul continentis.

In quibus utriusque ſpeciebus medicinae practicae occurrit iterum medicina *caſuiſtica* vel *conſultatoria*.

c) *medicina forenſis* et *politia medica*.

III. DISCIPLINAE, SCIENTIIS AFFINES MEDICIS praecipuae ſunt

A. ars veterinaria.

B. Chemia applicata oeconomica

C. Hiſtoria naturalis applicata oeconomica.

D. Oeconomia tam ruralis, quam ciuilis.

Plura, quae his addamus, non habemus. Difficile quoque eſt, de tali libro iudicium ferre; ſingulari vero

vero cum diligentia et aſſiduitate conſcriptum eſſe, nemo negabit: etſi optaſſemus, in recenſitis libris alio ordine vſum fuiſſe Cl. Auctorem. Non tamen dubitamus ipſum et tironibus et magiſtris artis medicae commendare.

III.

EDVARDI SANDIFORT, *Medicinae, anatomes, et chirurgiae in academia Batava, quae Leidae eſt, Profeſſoris,* Anatome infantis cerebro deſtituti. L. B. 1784. 4. c. tab. VI. pagg. 86.

Recte deſiderat Cl. Auctor infantum cerebro deſtitutorum, quiſaepe et falſo acephali dicuntur, figuras nitidas et eleganti arte paratas. Quapropter non ſolum tales offerre, verum quoque easdem deſcriptione illuſtrare egregie conſtituit auctor Cl. nobis jam ex multis ſcriptis de meliori commendatus. p. 9.

Primo capite itaque continetur accurata cranii cerebro deſtituti deſcriptio, partiumque vel praeſentium vel plane deficientium enarratio ſedula et concinna. Cerebri membranae molliores cum integumentis confuſae ſanguine extravaſato diſtentae conſpiciebantur, ſupercilia aderant nulla, ſicuti et oſſa verticis plane deficiebant, meatus auditorius compreſſus tamen pervius apparebat. Loco cerebri in conſpectum veniebat ſubſtantia ſatis dura, granuloſa, albicans, ſita inter partes anteriores oſſium petroſorum, nervi aderant omnes, vel ſaltem per partes et vias conſuetas ſolita ratione diſtribuebantur. Vertebras, quamvis multum compreſſas et irregulares, omnes Cl. Auctor conſpexit, at faciei oſſa adeo degenerata vidit, vt calvariam humanam eſſe, vix quisquam crederet. Quarum partium degenerationem ideo ſollicite examinat.

Secun-

p. 27. Secundum caput de acephalis veris exponit. Perraro ſane truncus ſupra humeros rotundo fine definebat, nullumque adnexum caput erat. Percurrit itaque pauca illa horum monſtrorum exempla, et quidem ea cum eruditione, qua talia argumenta pertractare Cl. Auctor ſolet.

p. 39. Simili ſtudio acephalorum improprie ſic dictorum caſus et exempla capite tertio in examen vocavit, proponens omnes illas obſervationes, quae cum ab Auctore deſcripto monſtro conveniunt.

p. 60. Quartum denique caput de cauſa maxime probabili degenerationis cranii hactenus deſcriptae agit. Alienus ab illa ſententia, quae monſtroſitates imaginationis effectus eſſe cenſet, quamvis et caſum ab ipſo deſcriptum hac ſententia aſſumta explicari poſſe ipſe affirmet, HALLERVM ſecutus a cauſa externa ſui foetus difformitatem derivat, vel ab interna cauſa et ab hydrocephalo immutato talem foetum monſtroſum ortum duxiſſe ipſi probabile eſt.

IV.

In gangraenam ſcroti obſervatio animadverſionibus nonnullis illuſtrata. Diſſ. Praeſide ADOLPHO MURRAY M. D. Anat. et chir. P. R. et O. examini defert IOS. GUST. PIPPING. Vpſaliae 1783. 4. pagg. 30.

Vir viliorſis ſortis, olim nauta, ſcorbuto, et quoque arthritide aliquoties affectus, ſcabie humida infeſtatur, quam primum lavatione in frigida aqua in ſiccam commutat, mox continuata lavatione planeſugat, remanente aliqua corporis hebetudine. Corripitur mox febre et tribus praeterlapſis diebus ſcrotum intumeſcens rubeſcit, atque ſuppuratione orta et te-

ſtes

ſtes tumere coeperunt. Impeditur ideo gangraenae progreſſus, praeſcribitur cortex, imponuntur epithemata diſcutientia. Decidebat ſcrotum, et conſolidatum eſt ulcus quamvis aegre convenienti medicina. Redibat quidem non ſcabies, attamen cutis tuberculis exaſperata ſquamas obtulit abſcedentes.

Hunc igitur caſum ſequentibus animadverſionibus illuſtrat Cl. Auctor. Sic recte monet, in partibus virorum genitalibus ſenſiliſſimis vulnera tamen protinus et conſolidari et multas operationes ſine funeſto exitu inſtitui. Sed multo magis mirum ipſi videtur ſcrotum regenerari. Scrotum autem frequentiſſime gangraena perditur per hydropicam intumeſcentiam, poſt febres cum metaſtatica materia, poſt exanthematicas febres et eruptiones cutaneas, ſic etiam ab aëre vitiato, violentia externa, a veneno viperarum ſcrotum necroſi eſt affectum. Mox conſtituit novam gangraenae ſpeciem, ſcilicet mixtam; deſideratur in ea mollities et fungoſitas, quae humidam diſtinguit, neque pars affecta ita exareſcit, uti in ſicca; putreſcentia in hac ſerius ingruit, quam in humida. Diverſitas autem gangraenae conſiſtit in eo, quod aut circulatio in vaſis perfecte intercipitur et cohibetur, aut humores nimis libere irrūunt. Cauſas gangraenae perſpicere difficile judicat, cum potius tantum phaenomena obſervare liceat. Sic in febribus malignis, ſic ex venenis, poſt dyſenteriam, morbos exanthematicos male curatos gangraenam oriri ſcimus. Certe gangraena non eſt contagium ſpeciale, nec antea ſiſtitur ipſa, quam cauſa efficiente remota. Gignitur autem gangraena, ubi excreſcentiae et tumores vaſa et nervos comprimentes, ubi infiltratio lymphae in tela cellulari tonum vaſorum plane exſtinguit, ubi poſt contuſiones organiſatio aliqua ex parte eſt deſtructa, ubi majori aut minori vaſorum et fibrarum

p. 8.

p. 10.

p. 20.

p. 23.

brarum irritatione copioſior humorum procuratur affluxus, nec huic reſpondet effluxus, ubi inflammatio ad ſummum euoluitur faſtigium. Sic quoque intereſſet, quorundam phaenomenorum cauſas noſſe, cur v. c. necroſis in uno aegro rapide progrediatur, cum tamen cauſa detegi nequeat, qui fiat, ut gangraena jam ſine praevia inflammatione oriatur, e. ſ. p.

Prolatis itaque ſimilibus quaeſtionibus oſtendit, in quibus caſibus opium, in quibus ſal cornu cerui volatile, veſicatoria, et in quibus chinam adhibere vel utile ſit vel noxium. In univerſum enim cupit medicos chirurgos magis ſollicitos in eligendis remediis pro gangraenae diverſitate.

V.

Collectio opusculorum ſelectorum ad medicinam forenſem ſpectantium curante Dr. IO. CHRIST. TRAUGOTT SCHLEGEL Medico apud Longo Saliſſenſes. Vol. I. Lipſiae 1785. 8. pagg. 286.

Egregium ſane cepit Cl. SCHLEGEL conſilium, cum erudito orbe communicare rariores de medicina legali et politia medica commentationes, quarum in Germaniae academiis ſane et multae et optimae proſtant, et quarum cognitio non ſemper ad exteros devenit. Quapropter valdopere laudamus Cl. Auctoris ſtudium, ipſumque omnibus, quorum intereſt optima quaeque ſcire, commendamus. Continet vero primum volumen diſſertationes ſequentes: 1) HEISTER de principum cura circa ſanitatem ſubditorum. 2) MAUCHART et SALZER de inſpectione et ſectione legali harumque exemplo ſpeciali. 3) FABRICII et BRÜKMANN diſſ. exhib. praecipuas cautiones in ſectionibus et perquiſitionibus cadaverum humanorum pro uſu fori obſervandas. 4) ADOLPHI et DREYER de infanticidii notis

notis ſectione legali detegendis. 5) HEISTER de ſumme neceſſaria inſpectione cordis vaſorumque majorum ſub legali infantum ſectione. 6) MAYER et REIMANN diſſ. ſiſt. praecipua experimenta de effectibus putredinis in pulmones infantum ante et poſt partum mortuorum, ſubjunctis novis quibusdam experimentis circa pulmones infantum ante partum mortuorum inſtitutis. 7) DELIUS et BERGER de ſugillatione, quatenus infanticidii judicium.

VI.

Firſt Lines of the practice of Phyſic: for the uſe of ſtudents in the univerſity of Edinburg, by WILLIAM CVLLEN, M. D. Profeſſor of the practice of Phyſic, firſt Phyſician to his Majeſty for Scotland etc. Vol. III. Edinburgh printed for Will. Creech. 1783. 8. pag. 389.

i. e.

Primae lineae praxeos medicae in vſum ſtudioſorum Vniverſitatis Edinburgenſis. Vol. III.

Nota iam in genere eſt ratio viris eruditis, qua primas praxeos medicae Cel. CULLEN lineas duxit; qua itaque praetermiſſa, morbos modo indicabimus in hoc volumine pertractatos, excerptis nonnullis, quae nobis notabiliora viſa ſunt. Agit vero cel. auctor de morbis nervos afficientibus vel de *neuroſibus*, quorum *libro I* eos affert, quos *comata* appellat, ad quae *apoplexiam* et *paralyſin* refert. Illam cenſet adeſſe, ſi omnis ſenſus interni externique, motusque muſculares certo quodam gradu ſint ſublati, vigentibus adhuc actionibus vitalibus: quâ ratione ſub eadem *carum, cataphoram, comam et lethargum* comprehendit, quae omnia vnius eiusdemque naturae eſſe et vehementia ſolum differre aſſerit. Oriri vero eadem vel a quadam origines nervorum p. 5.

vorum comprimente cauſſa, vel virium nervoſarum mobilitatem deſtruente; quarum prior potius ſit, et forſan omnes apoplexias a cauſſa interna pendentes progignat. Remotiores cauſſas eſſe violentiam externam, tumores quoscunque in encephalo, vel nimiam extenſionem vaſorum, vel rupturam, qua fluida effundantur; quae vero quoque accumulari
p. 23. poſſint nimia vaſorum exhalantium ſecretione, vel ſtatu plethorico venarum reſorbentium, vel earundem relaxatione, vel nimia particularum aquearum copia. Differentiam quidem adeſſe inter apoplexiam ſanguineam et ſeroſam, quae vero exigui uſus ſit in praxi,
p. 24. quia utraque ſaepe pendeat ab eadem cauſſa, nempe plethora venoſa; eaque ex ratione eandem fere requirat medendi methodum; excepta diatheſi hydro-
p. 25. pica praeſente. Cauſſis, quae deſtruunt nervorum mobilitatem directo modo, annumeranda eſſe aërem fixum, fumum carbonum, mercurii, plumbi cet. opium, ſpiritum vini, et alia narcotica; nec minus frigus, electricitatem, percuſſionem, mentis commotiones,
p. 26. rel. Eandem immobilitatem, certe quadam ratione productam, videri cauſſam appoplexiae epilepſiam, hyſteriam, vel podagram atonicam ſubſequentis, quum nulla fluida extra vaſa haerentia in cadavere reperiun-
p. 27. tur, quae etiam praeſentia, ſaepe modo vt eiusdem
p. 38. cauſae effectus, conſiderari poſſint. Ad apoplexiam curandam ſuadet venaeſectionem, vel capitis ſcarificationem, purgantia acria, vel ore vel ope clyſteris ingeſta; veſicatoria capiti applicanda: vomitoria ve-
p. 40. ro, et remedia ſtimulantia noxia ei videntur, excepto iſto caſu, quo immobilitas neruorum eiusdem apparat cauſſa. (Remedium nobis ſupereſt valde efficax, fomentationes nempe capitis frigidiſſimae, quas ex analogia feliciſſimae methodi, in vulneribus capitis gravioribus a cel. *Schmuckero* adhibitae, propoſuit Ill.
p. 46. CRELLIUS (Neues Magaz. f. Aertze B. I. St. I. pag. 11.)

De

De *paralyſi* agens Cl. CVLLENIVS eam modo intelligit, quae a cauſa generali, non locali, pendet, eadem itaque ratione ſananda, qua apoplexia: ſi vero iam invaluerit, et ſymptomata apoplexiae ſublatae ſint, nec indices compreſſionis cerebri occurrant, adhibeantur, eo praecipue in caſu, ſi narcotica morbum induxerint, ſtimulantia, inprimis in nervos, non vaſa ſanguifera agentia; e. gr. ſalia alcalia volatilia, et vegetabilia e *tetradynamia* deſumta; e contrario vero electricitas, balnea frigida, aromatica, reſinoſa, foetida, amara, et cortex peruvianus ad ancipitia remedia plurimis in caſibus Auctori referenda videntur. p. 46. p. 54. p. 56.

Liber II. *adynamias* comprehendit, quarum primae, *ſyncopes*, rationes remotas duplices eſſe cenſet; unam in cerebro, vel alia parte a corde remota latentem, quae vero interveniente cerebro in cor agit; alteram in ipſo corde haerentem; quibus itaque hicce apta remedia opponit. *Dyſpepſiam* diſtinguit ciborum appetitu deficiente, nauſea, interdum vomitu, ſubitis et tranſitoriis ſtomachi diſtenſionibus, variae conditionis eructationibus, ardore ventriculi, et dolore, alvo obſtipata. Adhibet antimonialia emetica, ut removeat eruditates in primis viis obvias, acidum vero praeternaturale corrigit ſalibus et terris alcalinis, inprimis cauſticis, nimia doſi non propinandis, et diaeta; alvoque obſtructae opponit laxantia leniora. Reſtaurant ventriculi tonum, quae vel modo immediato in ventriculum agunt, vel ſyſtema nervoſum in genere roborant: ad illa pertinent acida, vitriolicum, muriaticum, et vegetabile deſtillatum; (ut e. g. in aqua picis,) ſalia neutra, inprimis muriatica, aromatica, (quorum vero effectus citius iuſto tranſit,) amara, (quorum vero nimis continuato uſu tonus ventriculi, quin totius ſyſtematis, perit; an ab immixta vi narcotica, non liquet;) amara adſtringentibus nupta, ut cortex peruvianus, (qui vero eodem quoque, ut amara, laborare vitio videtur;) tandem chalybeata, et inpri- p. 69. p. 75. p. 60. p. 104. p. 111. p. 113 p. 114

inprimis aquae minerales, (quarum vero effectus potius a cauſis concurrentibus derivandi videntur.) Nervorum ſyſtema in genere roborat 1) corporis exercitium, perſpirationem promouens, actionemque excitans vaſorum eius ſuperficiem occupantium, quae
p. 115. inter et muſculares ſtomachi fibras ſingularis adeſſe videtur conſenſus: cauendum vero ab eiusmodi genere, quod corpus fatiget; quamobrem nave vel equo vehi praecipuum eſt. Aliud remedium non ſpernendum 2) frigidorum applicatio; ut aër frigidus, vel bal-
p. 118. neum eiusdem indolis: quae omnia ſaepe quoque dyſpepſiam ſymptomaticam ſanant, cum tonus ventriculo redditus ob conſenſum ſaepe ad reliquum ſyſtema tranſeat.

p. 120. *Hypochondriaſin* definit eſſe dyſpepſiam cum languore, moeſtitia et metu ex cauſis non aequis in temperamento melancholico coniunctum, eamque ab affinibus morbis bene diſtinguit. Cuius cauſam quae-
p. 127. rit in rigiditate quadam ſolidorum, torpore virium nervoſarum, et ſingulari quadam relatione ſyſtematis arterioſi ad venoſum. Infert inde, hypochondriaſin non eadem, ac dyſpepſiam, ratione eſſe ſanandam: rarius in illa adeſſe ſaburram in primis viis, ideoque emeticis rarius opus eſſe; ſaepius vere antacidis,
p. 133. ſupra enumeratis et iisdem purgantibus. Tonica vero, quae in dyſpepſia omnem paginam abſolvunt, hic neque neceſſaria, nec tuta eſſe; deficienti, non tono, ſed activitati, (ut ita dicamus) nervorum eſſe medendum: hypochondriacis rarius balneum frigidum, ſaepius calidum, et potum theae et caffeae proficuum eſſe, quae in illa quam maxime noceant: corporis motum utrique morbo prodeſſe. Sed praecipuam conſiderationem poſcere mentis conditionem, cui in ſuetis laboribus, ab affectionibus, anxietate vel deſa-
p. 139. tigatione liberis ſit perſiſtendum; (minime vero in contrario caſu) quique alternent recreationibus, cum corporis motu et dexteritate atque ardore quodam coniunctis.

Librum

Librum III. explent affectus ſpaſmodici, quos non dividit Cel. A. in tonicos et clonicos, (quia ſaepe mixti generis ſint,) ſed eosdem, uti vel animales, vitales vel naturales actiones corripiunt, enumerat. Sub *tetani* nomine comprehendit quoque opiſthotonum, emproſthotonum, et trismum, ut unius morbi diverſos gradus, eidemque praecipue opponit opium largiori in doſi etiam ope clyſteris aſſumendum, interpoſitis remediis laxantibus: nec minus moſchum, camphoram, balneum calidum, (cum cautione adhibendum) et ſalivationem mercurialem. Sequuntur *epilepſia*, et *Chorea Sti Viti*, in qua impuberes utriusque ſexus motus edunt convulſivos ex parte voluntarios, plerumque alterius lateris, quam maxime ſingulares, in greſſu pedem alterum ſaepius trahentes, quam attollentes. p. 143 p. 150 p. 165. p. 173. p. 177. p. 227.

Ad morbos ſpasmodicos actionum vitalium referuntur *cordis palpitatio*, (e corde ipſo vel remotis partibus originem ducens,) *dyſpnoea*, et *aſthma* (*convulſivum*), cuius cauſa proxima videtur eſſe praeternaturalis, et velut ſpasmodica fibrarum muſcularium in bronchiis conſtrictio, plenariam harum dilatationem impediens, et rigiditatem quandam inducens. Quod itaque rariſſime penitus ſanatur, allevationis modo capax, cui fini ſaepe reſpondent clyſteres emollientes laxantibus copulati, lenia emetica acceſſum ſaepe praecaventia, ſalia acida et neutra. Vt vero praediſpoſitio ad conſtrictiones ſpaſmodicas et praeternaturalis pulmonum mobilitas et irritabilitas tollatur, tentanda ſunt antiſpasmodica, (gummata vero foetida non ſine cautione) moſchus, aether vitriolicus, inprimis opium, in vero aſthmate (convulſivo) tutum; maximi vero momenti eſt cauſarum occaſionalium paroxyſmos accerſentium evitatio. p. 233. p. 241. p. 247. p. 257. p. 263.

Pertuſſis, a materia contagioſa ſpecifica oriens, in initio requirit interdum venaeſectionem, remedia alvum laxam reddentia, veſicatoria, praecipue autem vomi- p. 27 p. 284

vomitoria, (tartarum emeticum:) in morbi progreſſu idem non perſiſtere videtur ob contagioſam corpori adhuc inhaerentem materiam; ſed ob habitum
p. 290. quendam contractum; cui tollendo inſervit caſtoreum, moſchus, opium cicutae extractum, inprimis cortex peruvianus.

Affectibus ſpasmodicis, actionibus naturalibus moleſtis, annumeratur *Pyroſis*, epigaſtrii dolore urente,
p. 294. et copioſi humoris aquei, plerumque inſipidi eructatione, cognoſcenda, ortaque e fibrarum ventriculi ſpasmo, vaſa ad maiorem ſecretionem ſollicitante; eamque expugnant opium, rarius aether vitriolicus et ſal alcali volatile. Seqnitur *colica*, quae ratione cauſſarum remotarum forſan diſtingui poſſet; ſed quoad
p. 301. cauſſam proximam, i. e. conſtrictionem canalis inteſtinalis ſpasmodicam, eique ſuperſtructam indicationem curatoriam, eadem eſt, quae ſpasmum ſcilicet tollere antiſpasticis et actionem inteſtinorum purga-
p. 307. tibus et aliis quoque modis excitare iubet; praemiſſa, ſi morbi vehementia id poſcit, venaeſectione. Quae ex cauſſa ſanant fomentationes, veſicatoria, rubefa-
p. 311. cientia, opium (circumſpectius adhibendum), olea expreſſa, lente purgantia, (ut cremor tartari) ore aſſumenda, fortiora clyſmatum ope adminiſtranda (quorum efficaciſſimum e terebinthina rite paratum videtur) fumus tabaci, larga aquae calidae, vi quadam, ope ſyringae, iniectae quantitas. (Recentiſſimis temporibus iure ſuo laudantur clyſteres frigidi, vel ex aceto
p. 320. parati) *Cholerae* medentur copioſa diluentia mollia, ore et ano ſuſcipienda ad bilis evacuationem; quae ſa-
p. 330. cta, opiata, parca, ſed repetita doſi conducunt. *Diarrhoeam*, cuius ſummus gradus *lienteria* ſit, interdum ex inteſtinorum inflammatione eryſipelatoſa oriri docet:
p. 349. *coeliacam* quoque pro diarrhoeae ſpecie habet. — Vrina,
p. 364. in *diabete* excreta, ſemper fere dulci ſapore praedita eſt. Non negat cel. *Cullenius*, eandem interdum combinatam eſſe cum affectibus calculoſis, et irritationem in

in renibus urinae ſecretionem promovere quidem poſſe; ſed inde mutatam urinae conditionem, eamque ſaccharinam, nullo modo explicari; quae potius a vitio quodam aſſimilationis aſſumtorum pendere videatur: rariſſime vero huic morbo mederi, nec, ſi factum, remediis ad eundem hactenus laudatis tribuendum eſſe.

Hyſteria cognoſcitur ventris murmure, ſenſu globi in abdomine ſe volventis, ad ventriculum et fauces adſcendentis, ibique ſtrangulantis, ſopore, convulſione, urina limpida copioſiſſima, animoque maxime vario et mutabili; nec ſoli ſexui ſequiori propria, licet frequentiſſima, eſt, et in utero vel partibus genitalibus ſedem praecipuam habet; eiusque proxima cauſſa ſyſtematis nervoſi mobilitas, a ſtatu plethorico utplurimum pendens cenſenda eſt, iisdemque, ac epilepſia, remediis oppugnanda. Finem egregio libro imponunt animadverſiones de *hydrophobia*, cuius pathologia conſtare cel. auctori non videtur; nec magis de medendi methodo, in eadem maxime fallaci: interim opinatur, maxime ſecurum morbi praecavendi modum eſſe deſtructionem partis a rabioſo cane commorſae; efficaciſſimam quidem protinus in initio, minime tamen etiam aliquot diebus poſt negligendam; omnibus vero remediis, ad hunc diem usque in uſum vocatis, mercurium largius et diutius exhibitum palmam praeripere videri. Ineſſe huic noſtro operi plura, quae a receptis hactenus medicorum opinionibus valde recedant, cuique, nobis etiam non monentibus, apparebit facile; interim cum a cel. viro profecta ſint, cui rei medicae penetralia pateant, maxime digna ſunt, quae a doctis viris curatius ponderentur.

p. 372. p. 384. p. 387. p. 389.

VII.

Diſſertations on ſelect ſubiects in chemiſtry and medicine, by MARTIN WALL, *M. D. Phyſician*

ſician at Oxford, public reader of chemiſtry in that Univerſity, and late fellow of new College. Oxford, printed for D. Prince 1783. 8. m. p. 100.

i. e.

Diſſertationes ſuper ſelectis aliquot chemiae et medicinae materiis; auctore MART. WALL M. D.

p. 1. Tria potiſſimum ſunt momenta, de quibus Cl. Auctor mentem ſuam exponit. Primo loco nobis communicat orationem inauguralem, quam praemiſit praelectionibus ſuis chemicis, et in qua ſuper
p. 4. *ſtudio chemiae* diſſerit. Cuius definitiones luſtrans, taxat a BOERHAAVIO et MACQUERO propoſitas,
p. 8. quibus illam Cel. BLACKII praefert, qua chemia dicitur ſcientia, quae experimentis docet effectus mixtionis et caloris in corpora. Cuius ſcientiae utilitatem multiplicem exponit, eiusque hiſtoriam addit,
p. 21. quam a generis humani primordiis fere repetit. Non
p. 33. praetervidet incrementa chemiae, quae eadem debet copioſiſſimis alchemiae, quam vocant, cultoribus; quam vero artem inanem, quin impoſſibilem cenſet.
p. 50. Non diffitemur, totam hancce diſſertationem, cum ſtudio et elegantia conſcriptam, nos non ſine quadam voluptate legiſſe; attamen non invenimus, quae ignota ſint noſtratibus.

Secunda commentatio ſiſtit *coniecturas de antiquitate et uſu ſymbolorum, quibus aſtronomia et chemia ad deſignanda corpora coeleſtia et metallica utitur.* Negat Cl. Auctor, illa ſymbola a chemicis primum inven-
p. 92. ta eſſe, et indicare qualitates intimas metallorum:
p. 95. quae potius referenda ſint ad vetuſtiſſimos aſtronomos, qui corpora iſta coeleſtia ſplendidiſſima haberent
p. 99. habitationes deorum ſuorum. Itaque opinatur, ſo-
p. 100. lem eſſe ſupremo numini, Oſiridi, dicatum; lunam ipſius uxori, matri omnium communi; reliquorum planetarum ſplendidiſſimum primo mortalium inter di-

vos

vos relato, Iovi, cuius ſignum erat arietis cornu; addita cruce, quae columnis impoſita, diverſos inundationis Nili gradus indicabat. Veneri, vel Iſidi, reginae coelorum, ſtellam dicatam ſiſtro eſſe denotatam: Saturni ſignum fuiſſe falcem, in memoriam agriculturae inventoris: planetam, primo heroum conſecratum, a reliquis charactere haſtae et clypei eſſe diſtinctum: cet. Quibus poſitis, quo modo ſigna planetarum ad metalla translata ſint, coniecturis declarare ſtudet Cl. Auctor; cui licet animi ſagacitatem et ſingularem cum veteribus auctoribus ſic dictis claſſicis familiaritatem minime denegamus, tamen nos fugit, quid inde chemia capere poſſit emolumenti! p. 103. p. 108. p. 111. p. 114. p. 126.

Vltimum locum occupant *obſervationes in morbos, in inſulis maris auſtralis praevalentes, praecipue vero in luem veneream, cum animadverſionibus in tempus, quo primum in Europa apparebat.* Cl. Auctor ſub initium rationes proponit non leves, quibus motus Cel. I. R. FORSTERVS incunabula morbi venerei quaerenda eſſe ante tempora Americae detectae contendit; eundemque inprimis iam ſaeviiſſe prius in maris auſtralis inſulis, quam Europaei illas viſitaverint. Quibus vero omnibus Cl. WALL opponit argumenta, contrarium ſuadentia, iisdem vero carere illos poſſe nobis videntur, qui Cel. HENSLERI egregium opus hac de re conſcriptum *) debito ſtudio pervolverunt. p. 136. p. 151.

VIII.

Verſuche mit Queckſilber, Silber und Gold, angeſtellt zu Guildfort im May 1782 und beſchrieben von JAMES PRICE, *D. d. A. und Mitgl. der Königl. Societät der Wiſſenſch. — Nebſt einem Auszuge aus* BOYLE'S *Erzählung von einer Degradation des Goldes. Aus dem Engl. — Deſſau, auf Koſten der Verlagskaſſe für*

*) vid Comment. noſtr. Vol. huj. p. 149.

Gelehrte und Künſtler, und zu finden in der Buchhandl. der Gelehrten. 1783. 8. min. pagg. 6.

i. e.

Experimenta circa hydrargyrum, argentum et aurum, auct. JACOBO PRICE; vna cum epitome narrationis BOYLEI de auri degradatione.

Multos magnosque rumores excitarunt haecce experimenta, quae Auctor circa transmutationem hydrargyri in aurum et argentum, argentique in aurum inſtituit. Prodiit libellus, quo illa experimenta prouulgauit, anglice conſcriptus Oxfordiae a. 1782. Apud nos verſio germanica auidiſſime tum a chemiae ſanioris cultoribus, cum ſublimioris alchemiae adeptis arripiebatur. Sed eo magis auctor omnium admirationem mouebat, quum notum eſſet, ipſum eſſe virum clarum, doctum, nulla famae ſiniſtrae labe adſperſum, quem auri ſacra fames ad fraudes ſeducere non poſſet.

In *prooemio* ipſe cauſſas, quibus ad hos conatus ſuſcipiendos appulſus eſt, ac analogias, quae inter veterum recentiorumque ſententias de partibus conſtitutiuis metallorum dantur, enarrat. Tunc teſtes, qui experimentis ipſius circa miram illam transmutationem adſtiterunt, tales eſſe declarat, quibus omnis fides haberi poſſit. Confitetur tamen, ſe feliciorem adhuc exiſtimaturum fore, ſi haec experimenta, quae tam inſueta eſſent, ſententiamque a cunctis fere reprobatam confirmarent, coram teſtibus, quorum ſumma auctoritas valet, ipſa in metropoli inſtituere potuiſſet. At dolet, omnem transmutantis materiae copiam iam conſumtam eſſe, nouamque ob diutinum, opus, ſuaeque valetudini infeſtiſſimum laborem, quo illa excoquenda ſit, ſe parare non poſſe. Sed ſpectatorum fidem, ſcientiam, probitatem, ſuamque integritatem incul-

inculpatam fraudumque neſciam ipſum reiteratione experimentorum eximere poſſe perhibet. Vt conciliaret ſuis experimentis maiorem adhuc fiduciam ope ſimilium exemplorum, praemittit epitomen narrationis BOYLEI de degradatione auri ex ſcripto eius minus vulgari, qua drachmas duas auri antea cupellati et fuſi ope pulueris rubicundi, octauam, aut decimam grani partem vix aequantis, mox in aliud metallum, quod ductilitate, colore et inprimis grauitate ſpecifica multum ab auro diſtaret, mutatas eſſe, ille refert. p. 21.

Primo experimento, quod D. PRICE coram IV teſtibus d. VI. Maii 1782 inſtituit, narratur, hydrargyri ſemunciam, in fluxum ex borace carbonisque et nitri fruſtulo paratum in crucibulo haſſiaco, (omnibus antea a teſtibus ſcrupuloſe examinatis), effuſam, poſt inſperſionem grani dimidiati pulueris rubri nec fumos emiſiſſe, nec ebulliiſſe, etſi crucibulum igne candeſceret. Adaugebatur tunc ignis gradus et addebatur adhuc pauxillum boracis per teſtes inueſtigati. Crucibulum poſt ſemihoram ſenſim refrigerari curarunt, et confracto ipſo, in eius fundo repererunt metallum flauum, eiusdem plura fruſtula in ſcoriis, pondere X granorum. Hydroſtatice exploratum iuxta omnium aſſertionem ipſius grauitas ſpecifica vt 20: 1 deprehendebatur; caeterisque omnibus ſicuti aurum genuinum ſe geſſit. Solutio enim huius auri chemici in aqua regis facta cum ſolutione ſtanni purpuram mineralem, vitrum crameſino colore tingentem, exhibuit. Sal volatile cauſticum ex ſolutione eius aurum praecipitauit fulminans; aether vero vitrioli in illius ſolutionem egit, ſicuti in eam auro genuino factam. p. 37.

Secundo experimento coram iisdem et duobus adhuc aliis teſtibus d. VIII. Maii inſtituto eadem quantitas hydrargyri in ſimilem fluxum effundebatur, ipſique leniter calefacto pulueris albi granum vnum inſpargebatur. Omnes nunc hydrargyrum viderunt in p. 44.

fundo crucibuli candentis quietum, nec ebullientem, nec fumans. Crucibulo poſt tres horae quadrantes igne extracto fractoque, multos in ſcoriis diſperſos inuenerunt globulos metalli albi, pondere gr. XIII. Carbonum in hocce experimento nimiam quantitatem pro parando fluxu adhibitam eſſe, Dr. *Price* monuit, ideoque ſequenti die viciſſim inſtituebatur experimen-
p. 46. tum. In ſemunciam hydrargyri iamiam ob fortem moram ebullientis iniiciebatur pulueris illius albi granum dimidiatum, ſic ſtatim hydrargyrum ebullire ceſſit, etſi calor gradum ad eius ebullitionem requiſitum ſuperaret. In fundo crucibuli reperiebatur
p. 47. globulus metalli albi, pondere gr. X.

Eodem die, iisdem adſtantibus teſtibus, aliud experimentum cum argento captum eſt. Huic enim in eundem fluxum, vti ſupra dictum eſt, in crucibulo impoſito et fuſo granum dimid. rubri pulueris inſpergebatur. Poſt horae quadrantem crucibulum ex igne trahebatur, quia illud disruptum inueniebat D. PRICE. Sed metalli globulus in fundo eius nihil amiſerat pon-
p. 48. dere. Poſtero die idem experimentum cum argento repetebatur, eiusdemque XXX granis fuſis iniiciebatur gr. dimid. pulueris rubri. Reperiebatur in fundo crucibuli metallum, quod auro adunatum inuentum fuit. Id quod itidem de argento in priori experimento adhibito comperere. Aurum in hoc illoue inuicem fuſo argenti efficiebat adhibiti octauam partem.

p. 53. Sexto experimento hydrargyri fluidiſſimi uncias duae cum duabus guttulis Naphthae Vitrioli terebantur, et addebatur vnum granum pulueris albi. Hydrargyrum ſpiſſius euaſit, et poſt expreſſionem per pannum remanſit maſſa amalgamae ſimilis, quae tubulo ferruminatorio fuſa exhibuit metallum album, quod XXIV gr. ponderavit, et argentum ſe praeſtitit genuinum.
p. 54. Poſtea loco pulueris albi addebatur hydrargyro pulueris ruber et ſimili modo inſtituebatur experimentum. Sic hydrargyri XXIV partes vna tantum parte dicti pul-

pulueris in aurum genuinum mutatae ſunt. Reiteratis in experimentis coram iisdem aliisque ſpectatoribus ſimiles effectus apparuere.

Omnia tandem, adſtantibus multis teſtibus, repetebantur experimenta, et vna pars pulveris albi quinquaginta partes hydrargyri in argentum; eadem vero quantitas pulueris rubri LX. partes eius in aurum exaltabant. p. 57.

Quocunque in experimento omnia per teſtes, quos in chemia verſatos ex parte declarat Noſter, rite et ſcrupuloſe examinabantur, aut ab ipſis apportabantur. At res euentum habuit tragicum, vti nunc legimus*). Dr. *Price* ſedulo rogabatur, vt experimenta ſua coram teſtibus, qui omnia phaenomena rite meliusque diiudicare poſſent, inſtitueret. Per ſex ſeptimanas nunc aſſiduo pro conficiendo illo puluere transmutante *fruſtra* laborauit. Grauiſſimo tandem moerore preſſus vexatusque hauſtu aquae ex lauro-cerafi foliis a ſe ipſo deſtillatae vitam ſibi priuauit, annum agens XXVIII. Miſer ipſe amico confeſſus eſt, ſe flagitaſſe, vt magnam ſibi compararet famam nomenque celeberrimum. — Sic vana ſpe luſit alchemiae adeptos eorumque credulam fregit exſpectationem.

IX.

Abhandlung über die Bereitung des Brechweinſteins, von IOH. GEORGE ALBRECHT HÖPFNER. *Mit einer Vorrede von* I. C. WIEGLEB. *Weimar 1782 bey C. L. Hoffmanns ſeel. Wittwe und Erben. 8. 55 Seiten.*

h. e.

Tractatus ſuper tartari emetici praeparatione, Auctore I. G. A. HÖPFNERO.

Libellus hic veluti ſupplementum ad diſputationem BERGMANNI de tartaro antimoniato, Vp-

ſalae

*) vid. CRELLII annales chem. Faſc. III. p. 235.

ſalae MDCCLXXIII defenſam, conſiderandum eſt, vtpote in quo variorum de optima metallici huius ſalis conficiendi methodo ſententiae et recenſeantur breviter, et accurate diiudicentur. Etenim quum HÖPFNERO laudata BERGMANNI diſputatio haud eſſet omnibus numeris abſoluta viſa, ipſe ſibi propoſuit, experimenta quaedam nova inſtituere, ut methodum inveniret, qua emeticus tartarus parari queat, qui et efficax admodum ſit, et virtute ſibi ſemper conſtet. Ac primum quidem, ſua experientia nixus, contendit, cauſam, cur hoc ſal eadem vi haud ſemper polleat, non quidem a partibus illud conſtituentibus, ſed potius a perverſa eius parandi ratione repetendam eſſe; deinde contra BERGMANNUM dicit, qui methodum, quam deſcripſit, optimam, tutiſſimamque cenſuerit, docetque ſimul, plures, easque quodammodo inter ſe diverſas eſſe rationes, quibus produci valde efficax et medicis uſibus peridoneum antimoniale emeticum poſſit. Non repetemus autem, quae Noſter adverſus BERGMANNVM, aliosque chemicos monuit, ſed potius de ipſis, quae inſtituit, experimentis breviter referamus. Scilicet *croci metallorum* recte edulcorati unciam unam cum duabus unciis cremoris tartari, librisque duabus aquae communis in ollam argillaceam immiſit, et omnem hanc maſſam, ſub continua agitatione, leni igne coxit. Iam autem, cum dimidia fere liquidi portio in vapores acta eſſet, aquae libram denuo addidit, hancque affuſionem tam diu repetiit, donec materies per integras decem horas coxiſſet. Immiſit deinde decoctum filtro, et quod haud ſolutum in vaſe manſerat, rurſus cum una aquae libra per breve tempus coxit, ſolutionemque hanc, poſtquam eam filtri ope depuraverat, ſimul cum priori ad puluerulentam ſiccitatem inſpiſſavit, quo facto tartari emetici duas uncias et triginta grana obtinuit. Vt autem de antimonialium particularum in hoc ſale copia Auctor certior

p. 32.

fiat,

fieret, puluerem, qui in filtro ſupererat, itidem leni calore exſiccauit, ipſumque duarum drachmarum et ſex granorum pondus habere animadvertit; hinc calcinati antimonii quinque drachmae et quadraginta quinque grana tartaro nupſerant. Patet proinde ex hoc experimento, eam parandi huius emetici ſalis methodum, qua aequales tartari cryſtalliſati et croci metallorum partes adhibentur, omnino ineptam eſſe, cum, ſi dupla cremoris tartari portio ſumta fuiſſet, quaedam antimonialis calcis pars adhuc indiſſoluta reſtiterit.

Aliud experimentum cum *antimonio per ſe calcinato* inſtituit; ſumſit enim huius calcis partem unam et duas partes cryſtallorum tartari puluериſatorum, pulueremque ex horum ingredientium commixtione ortum cum ſufficiente aquae copia ea, quam modo laudauimus, ratione tractauit. Ita animaduertit, calcis antimonii quinque drachmas et quinquaginta duo grana ſoluta fuiſſe atque cum tartaro mixtionem iniiſſe. Non multum ergo differentiae inter hunc emeticum tartarum, illumque, qui cum croco metallorum paratur, intercedere patet; nam uterque fere eandem antimonii calcinati copiam continet. At enim vero qui ope *vitri antimonialis* producitur ſtibiatus tartarus, ſemimetallicae ſubſtantiae magis diues eſt, quam illi, de quibus hactenus locuti ſumus; namque cum vitrum antimonii dupla portione cremoris tartari mixtum cum ſufficiente aquae copia Auctor coxiſſet, duos tantum vitri ſcrupulos indiſſolutos remanſiſſe, tartarum emeticum vero vnciarum duarum et quadraginta granorum pondus habuiſſe expertus eſt.

p. 37.

p. 40.

Vltimum experimentum, de quo HOEPFNERVS retulit, cum *mercurio vitae* fuit inſtitutum, quem quidem ea ipſa, quam ſupra deſcripſimus, methodo cum tartari cremore commiſcuit et in communi aqua ſoluit. Iam cum duarum horarum ſpatium praeterlapſum eſſet, omnis fere materies ſoluta fuit, quare ſtatim lixiuium depurandum et ſufficiente calore ad ſiccitatem redi-

p. 43.

redigendum curauit. Emeticus tartarus, quem hoc modo obtinuit, ponderis fuit duarum vnciarum, trium drachmarum et quinquaginta ſeptem granorum, filtro autem ſex tantum grana inerant. Hinc mercurius vitae ad parandum hoc metallicum ſal ipſi vitro antimoniali omnino praeſtat; veruntamen cum hic ipſe mercurius nimis caro pretio vendatur, et praeterea vitrum etiam efficaciſſimum emeticum medicamentum cum tartari cremore, modo recte fuerit tractatum, conſtituat, ſuadendum chemicis antimonii vitrum potius, quam aliam antimonialem calcem, ad hunc finem eſſe Noſter cenſet, eorumque, qui vitrum minus idoneum iudicant, dubia diluit. Ceterum lixiuium, ſiue antimonialis calcis et cremoris tartari in aqua communi ſolutionem, haud quidem cryſtalliſari, ſed potius ad puluerulentam ſiccitatem inſpiſſari Auctor iubet; nam huiusmodi euaporatione emeticum tartarum oriri, qui virtute ſibi ſemper conſtet, cryſtalliſatione non item, experientia multiplici probatum eſſe contendit.

X.

IO. G. ROEDERERI et CAR. G. WAGLERI tractatus de morbo mucoſo, denuo recuſus annexaque praefatione de trichuridibus novo vermium genere editus ab HENRICO AUGUSTO WRISBERG — cum tab. aen. Goettingae 1783. 8. 22. pl.

Notiſſimus omnibus quum jam ſit celeberrimorum quondam virorum ROEDERER et WAGLER de morbo mucoſo doctiſſimus liber, nouam ejus lectoribusque commodam editionem prodiiſſe, Editoris, V. Cl. additamento auctam indicaſſe ſufficit. Praefatio Cel. WRISBERGII 38. paginas comprehendit, et commendationem primum operis, poſt eamque trichu-

trichuridum hiſtoriam continet. Trichurides ante annum 1760 nemini innotuiſſe, FABRICIUMque HILDANUM non trichurides, ſed lumbricellos aciculares deſcripſiſſe. Media hyeme 1761. ſtudioſus aliquis in theatro anatomico Gottingenſi praeparatione valuulae coli puellae quinquennis occupatus, ex improuiſo vulnusculum coeco inteſtino, frequentiſſima in cadaueribus trichuridum ſede, inflixerat. Prodibant tunc cum aqua ligatum inteſtinorum fruſtulum replente et reſiduis excrementorum partibus, teneri vermiculi, qui a b. WAGLERO, aliisque ad aſcarides aut ad lumbricos juniores referebantur. Quum tandem b. ROEDERERO et BUTTNERO hi vermes oſtenderentur, in eo demum hi viri conuenerunt, quod hoc vermium genus pro nouo habendum ſit. Ob filiformem caudam *trichuridum* nomine hi vermes donati ſunt. Quum demum epidemia mucoſa incidente, inteſtina hoc morbo defunctorum diligenter examinarentur, b. ROEDERERVS, quum tales vermes in omnibus paene cadaueribus inueniret, nimis liberaliter forte credidit, eos epidemiae mucoſae adſcribendos eſſe. Ipſe beatus ROEDERERVS Gottingenſi ſcientiarum academiae horum vermium exactam deſcriptionem communicauerat, cuius vero editio morte optimi viri praepedita eſt. Quae WRISBERGIVS de his vermibus in his pagellis tradit, ſpolia ſunt, quorum ex ore praeceptoris ſui recordatur, quum maxima harum obſeruationum microſcopicarum pars eo praeſente in theatro anatomico conſcripta fuerint.

1. Primi, quos WRISBERGIVS, V. Cl. vidit, Praefat. in duodeno inteſtino inueniebantur. Eos in vniuerſo inteſtinali tubo, excepto tamen ventriculo, frequentiſſime tamen in coeco inteſtino inuenit. Alii corpus habebant in veram lineam ſpiralem conuolutum, alii leuiter ſolummodo incuruum. Corpus modice craſſum proboſcide prominente et tenuiſſima cauda terminatur. Maxima corporis craſſities tertiam Wrisb. p. 9.

tiam lineae partem aequat; longitudo corporis ad 7. caudae vero ad 15 lineas accedit. Proboſcis ex inferiori capitis parte prodit parumper incuruata, et vagina incluſa, ex qua magis minusue exſeri poteſt. Ipſa proboſcis in obſcurum canalem continuatur, intra ipſum vermem reconditum, qui in trunco vermis parumper lateſcit lineamque cauam vermis ſequitur. Totius vermis ſubſtantia eleganter granulata apparet. In longitudine eius ſtriae transuerſae ſunt. Per omnem extenſionem corporis longitudinalem canalis decurrit albus materia albiſſima plenus, aliusque adeſt, longe tenuior, in medio vermis, canalis genitalis. In extremo canalis genitalis ouula copioſiſſima inueniebantur in ſpiralibus trichuridibus, incuruae vero nihil ouulorum exhibuerunt. Canalis alimentaris ex proboſcide continuatur. In cauda peculiaris adhuc canalis eſt.

p. 25. Haec omnia a ROEDERERO obſeruata ſunt. Ipſe autem Cl. WRISBERGIVS quum nouas ſaepius hoc tempore obſeruationes inſtitueret, inuenit ſpirales modiceque curuatas trichurides duas ſpecies, in eo diſtinctas conſtituere, quod ſpirales proboſcide inflexae ſint, quam curuatae nunquam oſtendunt. Ambae ſpecies glomeratim ſaepe in inteſtinis aſcaridibus lumbricisque immixtae reperiuntur. Deprehendit ſaepe Cl. WRISBERGIVS glomera ex 15 — 24 trichuridibus conſtantia, quarum longiſſimae caudae tam arcte erant implicatae, vt, vno verme prehenſo, totum glomus ſuſpenſum teneretur. Nunc ea traduntur, quae nouis aliis obſeruationibus circa curuarum trichuridum internam ſtructuram Cl. WRISBERGIVS microſcopio obſeruauit, ea, quae ROEDERERVS obſeruauerat, maximam ad partem confirmantia. *)

XI.

*) Sufficit hic notare aliis O. F. MÜLLERI et GOEZII obſeruationibus probari, partem, quam caudam dixerunt Auctores, de quorum libro retulimus, caput vermis potius eſſe habendum, vermemque ipſum, *Trichocephalum* nominandum.

XI.

Beobachtungen der epidemiſchen und einiger ſporadiſchen Krankheiten am Oberharze, vom Jahr 1777. bis 1782. von LEBRECHT FRIDRICH BENJAMIN LENTIN. — *Mit einem Kupfer. Deſſau und Leipzig, in der Buchhandlung der Gelehrten. 1783. 8. 160. Seiten.*

i. e.

De morbis quibusdam epidemicis et ſporadicis obſervationes, Auctore LEBR. FR. BENJ. LENTIN.

His obſervationibus, quibus partim rari et parum viſi morborum caſus enarrantur, partim morborum frequenter incidentium melior diagnoſis curatioque traditur, introductio praefixa eſt, 28 paginas explens, in qua de aëre, aquis, locis, morbis cet. Clauſthalienſibus et Zellerfeldenſibus agitur. Anno 1781 pauciſſimos morbos in his regionibus obſervatos eſſe. Subinde homines et humidiſſima tempeſtate perdurante parum aegrotare, frequentiſſime vero catarrhalibus febribus malignis cum diſpoſitione ad putredinem aut ad miliarem efflorescentiam, ſi calor; aut rheumatiſmis bilioſis aliisue morbis bilioſis corripi, ſi frigus hanc tempeſtatem excipit. Autumnales morbos in his regionibus vernalibus longe mitiores eſſe, huiusque rei rationem in oleribus tunc comparatu facilibus latere. De gratiſſimis et corpus mire refocillantibus abietum, floreſcentiae tempore, exhalationibus. Morborum copiam ſemper frugibus horaeis, fragis etc. deficientibus, longe majorem eſſe, quam copioſis his fructibus exiſtentibus. De tuſſi efficacique ad eam medicina cantharidum puluere externe aut dorſo, aut humero applicato. De epilepſia arcenda.

In ipſo opere primum de ictero agitur. Colluuiei bilioſae in ventriculo, hepate et inteſtinis ſigna

adfuerunt, morbusque mitis, nullique mortem inferens, diluentibus lenteque resoluentibus ptisanis, tandem tartarisato cum oxymelle squillitico, purgantibus ac roborantibus medicinis sanatus est. Sub finem morbi methodus lente diaphoretica profuit. Rheum parum praestitit. In grauidis puerperisque, quae puros suos non lactarunt, malum rebellius extitit.

p. 8. *De febre catarrhali epidemica 1782 (Influenza).* Aëris singularis mutatio inprimis ad hunc morbum contulit. De medendi huic morbo, pro varia eius indole, methodo.

p. 16. *De variolis.* Ipse Cel. Auctor 32 pueris variolas inseruit. *Dimsdalii* methodo ad praeparationem, et ad insitionem antiqua methodo, quae per incisionem peragitur, (omnibus vtique praeferenda, quicquid Galli cantent) vsus. Hanc methodum ob suppurationem succedentem inprimis praestare. De variolis naturalibus artificialium insitionem proximo excipientibus. Accidit ipsi Cl. Auctori, vt filius ipsius post insitas ipsi artificiales variolas a naturalium variolarum contagio corriperetur occidereturque, alius que et eiusdem Cl. Viri filius in ipso paene fastigio variolarum ipsi insitarum decursu malignarum contagium susceperit. De praecordiorum irritatione in prima variolarum febre moderanda. Ab hac prima mala symptomata et id inprimis pendere, quod morbidae materiae coctio in superficie impediatur. Vrinae etiam interceptionem symptoma subinde peculiarem tractationem requirens constituere. Aërem moderatum esse debere, nimisque frigidum cutem per cutem obstare. De biliosa saburra durante eruptione variolarum et post eam moderanda. De secunda variolarum febre tractanda. Ad vrinae exitum liberum etiam respiciendum esse. De ocularum
p. 383. varioloso morbo affectis tractandis. Collyrium e melle, cui boracis grana quaedam admixta sint, inji-

mis ad variolas in oculis conuenire, difficilem vero ſemper et diuturnam earum curationem eſſe.

Obſeruationes de aquae, in qua ferrum fuſione liquatum in grana redactum ſit, ad varios morbos vſu. p. 55. Exempla a Cl. Auctore allegata probant, hanc aquam in contabeſcentia articulorum a vi externa exorta, paralyſi perfecta articulorum infernorum, articulorum debilitate et tumore, debilitate poſt malum hyſtericum, morbum nigrum, arthritidem remanente, paralyſi poſt ſaturninam colicam, hyſterica paſſione intenſa cum manuum paralyſi conjuncta, articulorum infirmitate, ſpaſmis in articulis vagis, hemicrania, inſignes effectus edidiſſe; in variis vero vagis muſculorum ſpaſmis, paralyſi toti cuidam familiae familiari, diurna pollutione, articulorum intenſo tremore, articulorum difficili mobilitate poſt apoplexiam earum aegris contuliſſe.

De hydrope quaedam, inprimis de ſignis, ex quibus incipiens hydrops cognoſci poſſit. Subinde primas hydropis origines in vrinae interceptione quadam latere. De nimio potu hydropis cauſſa, inprimis de ſpiritus frumenti potu. Viſcerum et ventriculi atoniam ab his ſpiritibus exortam fructuum aurantiorum immaturorum vſum optime curare. Hydropis poſt efflorescentias cutaneas et poſt febres oriundi, rationem ſubinde in atonia cutis paralytica latere. Aſthma, a quacunque demum cauſſa ortum fuerit, in hydropem demum terminari. De hydrope poſt haemorrhagias, a mercurii ſublimati vſu. Qua ratione hydropicorum aquae per aluum educendae ſint. Gummi guttae omnibus aliis medicinis, praemittendis, praemiſſis praefert. De vrina pellenda. Squillam in pectoris hydrope ſemper obeſſe. Alcalescentes et acres factae aquae hydropicae quomodo corrigendae ſint. Cremorem tartari, aliaque acida lenia huic aquarum vitio, alcalino quippe, maxime obeſſe. In abdominali hydrope paracenteſin inſti- p. 93.

tuendam esse, simulac aquae fluctuatio percipitur, tunc curationem longe melius succedere.

p. 141. De hydrope anasarca. Eum saepissime malum paralyticum constituere, quod in aliis, aut post alios morbos; aut ab humorum dissolutione ortos, aut post eos, in quibus cutis functiones perspirationemque negotium vitiosa erant, oritur. Mineralia acida data, ei in initiis optime mederi. Vasis exspirationi inseruientibus paralytice affectis, excitantia cutem, vrticationes, fumigationes, frictiones, caet. convenire. De incisionibus faciendis.

p. 155. *De polypoſa angina.* Externe in aegris hoc morbo affectis, in initio, ad majorem glutinis congelationem minuendam, vnguentum ad scabiem Wilsii applicuit, vesicatorium emplastrum intra scapulas pone, et laneum pannum camphora impraegnatum pectori imponi jussit. Interne ammoniacum gummi cum aqua solutum et senegae radix data sunt. In progressu morbi salis ammoniaci spiritus datus est, et solutam glutinosam materiem emetica medicina feliciter expulit. Eadem methodo et alius aeger seruatus est.

Ad finem tabulae additae sunt, modum docentes, quo historiam morborum ad vsum suum primum medicus conscribere possit.

XII.

Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und medicinische Polizey. Stendal. 1782. 8. Erſter Band. Ebendeſſelben Werks, Zweyten Bandes, erſtes Stück. ebendaſelbſt. 1783.

i. e.

Medicinae forensis et politiae medicae promtuarium.

Manuale in physicorum vsum primum conscribere tentauerat editor Cl. UDEN, cui vero pro-

propoſito quum varia obſtarent, et quum neque politia medica nec ipſa forenſis medicina in libris plene tradita eſſent, promtuarium quoddam condidit, in quo omnia ea colligerentur, quae judicibus iisque, qui rerum politicarum curam gerunt, ſcitu inprimis neceſſaria ſunt. Eam ob cauſſam et opuſculorum lectu dignorum iam impreſſorum, inprimis diſſertationum academicarum opuſculorumque lingua alia, quam vernacula, conſcriptorum verſionem a fine ſuo haud alienam duxit.

Primo autem volumine haec continentur:

De infanticidio tractatio, occaſione celebratiſſimae quaeſtionis conſcripta. Infanticidii crimen hoc inprimis modo auerti debere, vt omnis impraegnationis illegitimae macula deleatur. p. 1.

De melancholia. Eam animi imbecillitatem eſſe ex corporis vitioſo ſtatu ortam, in qua animus a certis externis objectis tam vehementer afficitur, vt perceptionibus ex iis obortis reſiſtere haud queat. De nerua melancholia, eiusque eſſentia. p. 53.

De legali vulnerum per medicum inſpectione poſt homicidium ſumme neceſſaria. Verſio diſſertationis academicae eſt, a *Petro Gerike* 1737 Helmſtadii editae. p. 108.

De *Io. P. Ph. Roſenfeldio*, famoſo fanatico et haeretico Berolinenſi. Educatus maleque in prima iuuentute tractatus a paſtore quodam eſt, in eoque forte ratio ſita eſt, quod poſt varia alia infortunia chriſtianae demum religionis aduerſarius euaſerit. Per duos annos poſtea in mente captorum noſodochio detentus dimiſſus eſt, quum nil amplius fanatici in eo perciperetur. Poſtea ſeptem ſigillorum vitae poteſtatem a Deo ſibi traditam eſſe dixit, vt autem haec ſigilla aperirentur, ſeptem virgines neceſſarias eſſe, in quibus ſigillorum ſolutionem ſtupratione tentauit. Tandem ad judicem res a muliere delata eſt, quae tres ipſi filias ad talem ſigillorum ſolutionem dederat. Iu- p. 151.

dicium medicum de mentis huius hominis morte ſequitur.

p. 171. *Aquarum ſoteriarum ad Brunkau examen. Librorum cenſurae.*

p. 239. In altera parte huius operis *de melancholia* tractatio continuata eſt. De cauſis melancholiae natura. De ſpaſmodicae melancholiae, et medicinis ad eam. Plurima ex *Lorry*, V. Ill. opere deprompta ſunt.

p. 350. *De his, quae a phyſicis in terris Boruſſiae regno adſcriptis praeſtanda ſunt.* Formulae ſimul variae iudiciorum, caet. additae ſunt, eaque tota tractatio inter bene elaboratas referenda eſt.

p. 368. *Meieri*, aulae medici Hannoverani ex cadaueris violenta morte occiſi inſpectione iudicium. Ex BALDINGERI, V. Ill. promtuario medico.

De ſuggillationibus et contuſionibus, periculo ex iis rite aeſtimando, iisque curandis.

p. 401. *Cur omnia ad boum luem auertendam hactenus tentata non ſuffecerint.* Principiis inprimis obſtandum, et vbi inualuerit lues, eius inoculationem tentandam eſſe.

Io. Henr. Schulze diſſertatio, qua probatur, *funiculi vmbilicalis deligationem in infantibus recenter editis abſolute neceſſariam eſſe.* Ex latino verſa diſſertatio.

Catalogus eorum, qui Berolini ab anno 1779, vſque ad annum 1780. et ab anno 1780 vſque ad annum 1781. demortui ſunt. Bona vtilisque tabula eſt. Morbi ſimul, ex quo mortui ſunt, additi ſunt.

Librorum cenſurae.

Alterius voluminis prima pars *Cothenii*, V. Ill. *cogitata continet, de neceſſitate mulo-medicinam publice docendi*, ex hiſtoria *Academiae Regiae ſcientiarum Berolinenſis* e gallico translata.

Hiſtoria ſtatusque rei medicae in terris Boruſſorum regno adſcriptis. Bona, imo optima tractatio, notitiam

tiam omnium, quae ad rem medicam in his terris pertinent, maxime diſtinctam continens.

Vogelii de his, qui aqua ſuffocati ſunt, vitae reſtituendis. Ex Ill. BALDINGERI promtuario.

De legibus circa infanticidium in Suecia datis. Et p. 103. in his terris rigorem legis hodie valde mitigatum eſſe.

Noſocomii publici Petropolitani pro pauperibus et inſanabilibus aegris inſtituti hiſtoria ſtatusque. De aliis inſtitutis medicis publicis, inprimis *Tigurino.*

Ex actis judicialibus varia. De aegro morbum ſi- p. 135. mulante.

Num plumbi in grana fuſio cereuiſiae, quae in loco p. 144. huic fuſioni vicino paratur, nociuas qualitates impertire poſſit. Poſſe aliquid nociui in cereuiſiam ex plumbo redundare utique adſeritur.

Librorum cenſurae.

De cloacarum exhalationibus noxiis.

Vita litteraria Dn. de *Chamouſſet.*

XIII.

Gazette de Santé, *oder gemeinnütziges mediciniſches Magazin für Leſer aus allen Ständen, und zum Beſten einer Privatanſtalt für arme Kranke herausgegeben von* IO. HEINR. RAHN. *Med. Dr. Erſter Jahrgang, I — VI. Stück. Zweyter Jahrgang I. und II. Stück.*

i. e.

Promtuarium medicum in vſum lectorum cuiuscunque conditionis editum a IO. HENR. RAHN. Annus I. Pars I — VI. Annus II. Pars I et II.

Hoc periodico opere, in quo partim propriae Cl editoris aliorumque medicorum lucubrationes, partim et ex variis bonis libris varia continentur, doctrina de natura corporis humani, de conſeruanda bona valetudine, de valetudine morbisque cuique ho-

minum conditioni opificioque propriis, de infantum educatione, ſimulque regulae traduntur in morbis quoad diaetam et medicamentorum vſum obſeruandae, hoc tamen reſpectu habito, vt liber non medicis proprie inſeruiat, ſed communem vſum habeat, quem in finem et hic liber ob argumenti bonam pertractationem merito commendari debet.

Primum *hominis hiſtoria naturalis* traditur bene elaborata, vt ii, qui medicinam non didicerunt, multum ex hac tractatione commodi exſpectare poſſint.

p. 39. *De corporis cura infantum diligenter gerenda*, de parentum cura, quam, foetu nondum in lucem edito, gerere debent. De tempore ad matrimonium contrahendum maxime opportuno (anno vigeſimo). Matrimonium tantum ſanos contrahere debere. De veſtimentorum, inprimis in ſexu ſequiori, cura.

p. 71. *De bona valetudine conſeruanda.* Ex *Frankii* ſyſtemate politiae medicae.

De litteratorum valetudine tuenda. Ex Cll. virorum *Tiſſoti*, *Ackermanni*, *Leuthneri* et *Frankii* libris.

De artificum morbis, ex *Ackermanni* libro.

p. 122. *De inſitionis variolarum in patria Cl. Auctoris vrbe progreſſibus.*

Catechiſmus, in quo praecipua de variolarum inſitione, in eorum vſum, qui rus colunt, traduntur, auctore Cl° *Aepli*. Egregie elaboratum opuſculum eſt, ad cuius normam plures iam in Heluetia variolas feliciter ſuis inſeruerunt.

De periculo ex ſecundinis in vtero reſiduis, eodem V. Cl° auctore. Caſus ſimul, catechiſmi forma, in quibus ſecundinarum extractionem tentare conuenit, remediaque in variis caſibus adhibenda bene traduntur.

Varia ex ſcriptis medicis in communem vſum conſcriptis, aliaque.

p. 267. *Tertia* et *quarta primi anni* parte hominis naturalis hiſtoria continuatur, et de corporis infantum cura diligenter gerenda vberius agitur. De his, quae

in

in ſexu virili obſeruanda ſunt, de manuſtuprationis noxis, caet.

De ſecunda valetudine conſeruanda, inprimis de ſignis bonae ex omni parte valetudinis. p. 333.

De agyrtis et circumforaneis, auctore Cl° *Aepli*, Plurimae taliumj circumforaneorum et ex vrina medicorum hiſtoriae partim a Celeberrimo auctore, partim ab editore traduntur. p. 344.

Varia ex ſcriptis et alia ſequuntur.

Quinta et *ſexta* pars continuationem naturalis hiſtoriae exhibet, in qua inprimis de vitae tempore et duratione agitur. p. 520.

De medicis ocularíis circumforaneis, auctore Cl° AEPLI. Continuatio tractationis de agyrtis eſt, in qua plura infelicium ab his hominibus temere ſuſceptarum curationum exempla traduntur.

De variis animi morbis, eorum originibus optimaque eos curandi methodo, editore V. Cl. auctore.

De corporis infantum recenter editorum cura gerenda. De his agitur, quae grauiditatis tempore agenda ſunt.

De variolarum inoculatione Cl. *Scherb*, agit.

De valetudine conſeruanda. Ex libris varia, variaque alia ad inoculationem variolarum, putredinis per acetum correctionem, medicos ex vrina, caet. pertinentia.

Secundi anni pars *prima* et *altera* edita eſt. In ea hominis naturalis hiſtoria continuatur.

De variolarum inſitione, argumentisque pro ea aut contra eam maxime vrgentibus. Doctiſſima tractatio, in qua *Sellii*, *Metzgeri*, *Platneri*, aliorumque argumenta examinantur.

In *Pauli* quendam locum, Epiſt. ad Timoth. 2, 12 — 15.

Morbi cuiusdam hiſtoria, in vſum eorum, qui in pſychologia occupantur.

De morbis artificum ex *Ackermanni* libro.

Ex libris varia. De magicis rebus, caet.

XIV.

Aufſätze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneywiſſenſchaft, herausgegeben von IO. HANN THEODOR PYL — *Erſte Sammlung. Berlin 1783 in 8v. 272 pag.*

i. e.

Diſſertationes et obſeruationes ad medicinam forenſem ſpectantes. editae a IO. THEOD. PYL.

Varios caſus hic liber continet raros ſubinde lectu- que digniſſimos cum doctiſſima epicriſi. Obſeruationes autem, quae in hoc tomo occurrunt, ſequentes ſunt:

Conthoralium, qui in lecto demortui reperti ſunt, legalis inſpectio cadauerumque ſectio. Mortis probabilis cauſſa carbonum vapor fuit. Ventriculus vehementer inflammatus, vaſa ſanguine diſſoluto, ſpumoſo turgida, cerebri vaſa turgidiſſima fuere; in pectore ſanguis extrauaſatus ſpumoſus, repertus eſt. Ventriculi in his cadaueribus inflammationem ab humorum acrimonia intenſa jam antea praeſente ortam eſſe Noſter putat, nulla plane veneni ingeſti ſuſpicione praeſente.

p. 29. *Panis venenati falſa ſuſpicio* in altera obſeruatione enarratur. Alius veneni dati accuſationis, pariter falſae, hiſtoriam tertius caſus continet.

p. 43. *Mortis ex arſenici cum aqua ſolutione externe ad ſcabiem profligandam adhibita* in puero quinque annorum hiſtoria. In inciſo cadauere pulmones inflammati, ſanguine referti, cor eiusque vaſa ſanguine pariter turgida, inteſtina aëre diſtenta, parum inflammata, uterae matris cerebrique vaſa ſanguine tali modo referta diſtentaque inuenta ſunt, vt ſanguis, cerebri ſubſtantia inciſa, copioſe profunderetur. Plures ſimul hiſtoriae ex auctoribus citantur, quibus arſenici externe corpori applicati mortiferi effectus probantur. (Nos nuper-

supertrime diram capitis inflammationem externam immanemque dolorem in puero tredecim annorum obseruauimus lactisque calidi copiosissimo fotu sanauimus, qui circumforanei suasu, cobalti puluerem capiti variis in locis exulcerato insperserat.)

Mortis ex arsenico dato historia, cadauerisque inci- p. 53.
so. Modi, quibus ea, quae in corpore eorum reperiuntur, quos arsenici sumti suspicio premit, examinanda sunt, praeclare enarrantur, et quam cauti physici in talibus casibus esse debeant, exemplis demonstratur. Probatur inprimis, vapores istos allium redolentes arsenici sumti signum certum haud esse, certaque signa, experimentaque traduntur, quibus arsenici praesentia cognosci potest.

Singularium symptomatum mortisque post altheae p. 70.
pastam effoetam sumtam historia. Intensus vomitus, ardor, delirium, neruorum distensiones, caet. mortem praecesserunt. Sanguis in ventriculo pectore, cerebro accumulatus et in toto corpore dissolutus repertus fuit. Inflammatio nulla. Aliud etiam exemplum noxarum ex pastae altheae situ nimis diuturno corruptae esu ortarum adducitur.

De noxis ex euphorbii puluere externe corpori applicato.

Morbi mortisque ex opio sumto historiam octaua p. 84.
obseruatio continet. Cadauere inciso summa putredo obseruata est. Intestinalis tubus aëre valde distentus, ventriculus tumidissimus, in interna sua superficie valde inflammatus, hepar variis locis maculis subnigris foedum, bilis putrida, lien admodum fragile inuenta fuere. Omnes abdominales venae sanguine nigro fluidoque tam valde distentae fuere, vt duplo crassiores, quam in statu naturali, essent. Pleura inflammata, cor praeternaturalem in modum dilatatum, cerebrique vasa omnia sanguine refertissima fuere. Opii grana LX hic homo sumserat, quem apoplexia ab opio inducta mortuum esse Noster putat.

Alia

Alia adhuc morbi mortisque ex opio hiſtoria traditur. Emetico dato aeger opii partem quidem maximam vomitu reddidit, verum alui obſtructio ab inteſtinorum paralyſi inducta tam pertinax remanſit, ut gangraena et totius corporis rigore demum oborto, decimo poſt opium aſſumtum die, aegeranimam redderet. — Epicriſis ſymptomatum ex opio natorum quantitate ſumto hiſtoriam, iisque medendi methodum continet. Fortis emetica medicina omnibus praeferenda eſt; eaque via natura ſubinde ſeipſam ab immiciſſimo hoc ſibi veneno liberat. Nos juvenem ſervavimus, qui ad mortem ſibi conſciſcendam XC. grana opii puri veſpertino tempore devoraverat. Peſſima ſymptomata, ingens totius corporis rigor, nervorum diſtentiones, continuumque delirium ſtatim ſequuta ſunt. Septima poſt opium ſumtum hora vomitus ſpontaneus, copioſiſſimus obortus eſt, quo opii non ſatis exacte triti fruſta plurima ejecta ſunt. Febris poſtea hunc hominem corripuit putrida, nervoſis ſymptomatibus ſtipata, cum vitae periculo maximo conjuncta, poſt XXXV. demum dies convenientibus medicinis, peruviano inprimis cortice et vitrioli acido meraco aut dulcificato, ſanata. Verum tam tarda lentaque digeſtio, tantaque virium defectio remanſit, ut poſt integrum annum elapſum aeger nondum penitus convaluerit.

Ad vaſorum diſtentionem avertendam Noſter venaeſectionem, medicina praemiſſa, ſuadet.

Pluribus denique caſibus expoſitis, ad infanticidium, remque obſtetriciam, quatenus ad medicum forenſem ſpectat, pertinentibus, XXIII. et XXIV. obſervatione *de impotentia virili* agitur, eaque obſervationibus quibusdam ſingularibus illuſtratur. p. 219.

Num epilepſia correpti matrimonium inire poſſint, XXV. obſervatione expenditur. Concedi his poſſe matrimonium, ſana parte conſentiente; raro tamen epilepticos matrimonio ſanari.

Obſer-

Observationes et experimenta meloës majalis vim ad hydrophobiam concernentia, auctore SCHÖNWALD Med. Dr. libro annexa sunt. Primum symptomata exponuntur, quibus infectio a rabidi animalis morsu in hominibus cognosci possit. Vidit Cl. Auctor hydrophobiam in virgine ante XXIV. hebdomades morsu rabidi canis laesa. Primum autem symptoma post morsum dolor intensus in lacerata parte est, totum sensim corpus occupans. (In omnibus demorsis, quos vidimus curavimusque, dolor haud valde intensus fuit. Vidimus adeo manum alteram sine magno dolore tali morsu dire laesam, neque profunda vulnera cum substantiae deperditione ori illata vehementer doluerunt.) Signa postea, quibus canum rabies cognosci potest, exponuntur, et exempla demum plurima medicinae efficacem ad hunc morbum vim in hominibus animalibusque probantia adducuntur. p. 240.

Finis operi observatione plane singulari imponitur infantis statim post partum, resciso, et non ligato funiculo umbilicali, in cistam sepositi, ex eaque post sex horas, quum vitam adhuc ageret, sanus vegetusque esset, exuncti.

XV.

IOHANN DANIEL METZGERS — *Grundriss der Physiologie. Zweite, umgearbeitete und verbesserte Auflage. Königsberg 1783. 8. III. pagg.*

i. e.

Primae lineae physiologiae, auctore IOANNE DANIELE METZGER.

In hoc libro Cl. Auctor singulari studio omnia in physiologiae disciplina recenter inventa diligenter collegit, jam antea ab HALLERO aliisque dictis adjunxit, hocque modo mole quidem paruum, verum argumenti grauitate prae aliis multis conspicuum lectu-

que

que digniſſimum opuſculum condidit, in quo laudabili breuitate principes phyſiologiae doctrinae praeclare traditae ſunt.

Epiſtola ad SPROEGELIUM, Berolinenſem profeſſorem celeberrimum, praemiſſa eſt, in qua, quid ad bonum et utile phyſiologiae compendium requiratur, ſimulque, quid in HALLERI primis lineis phyſiologiae deſideretur, ſuccincte exponitur, breuiſſimaque phyſiologiae hiſtoria praemiſſa, in praelectionibus academicis ulterius illuſtranda, *prima ſectione* de hominis hiſtoria naturali agitur. Varietates hominis quinque ſunt. Loquela, riſu, fletu, inprimis autem ſenſibus perfectis magis, greſſu erecto indeque pendente partium ſingulari forma ab aliis animalibus homo diſtinguitur.

Partium corporis humani analyſi chemica expoſita, in qua fixo aëri cohaeſionis partium cauſa non adſcribitur, de fibra, tela celluloſa, membranis cet. agitur. Vires, quae humano corpori viuenti inſunt, *vis vitae* et *vis nerueа* ſunt. *Vitae vis* quoad ſuam naturam nobis incognita in omnibus corporis partibus praeſens eſt, corporis partes ad functiones ſuas exercendas et ad ſibi noxia remouenda aptas reddens. Ea et poſt mortem adhuc in ſenſus incidit, in omnibus corporis partibus, oſſibus, cet. exiſtit, in muſculis vero *irritabilitate Hallerиana* ſeſe manifeſtat. Conſenſus partium ex connubio vis vitae et nerueae oritur, tela celluloſa tamen, ſtructurae analogia, ſanguifera vaſa, cet. etiam aliquid ad eam conferunt. De temperamentis.

p. 15. Altera ſectione *actiones vitales* comprehenduntur, primumque de ſanguinis circulatione, et de ſanguinis indole agitur. Sanguineos rubicundos globulos ſanguinis partes conſtitutiuas haud, verum tantum particulas ſanguineas rubicundas eſſe aqueae parti innatantes, neque hoc verum eſſe, quod globuli rubri in flauos hique in albos diſſiliant. Sanguis in vaſis

vivi animalis detentus vitali quadam aut irritabili vi praeditus esse videtur, eaque vitalis vis ex sanguine emisso vaporum forma in aërem forte ascendit. Rubor sanguinis a phlogistico principio pendet. Caloris animalis ratio in sanguine hoc tamen modo sita est, ut et neruea vis multum ad eum conferat.

Cordis anatome functionibusque ad sanguinis circulationem, organorum respirationi inseruientium, pectoris ossei, diaphragmatis, pulmonum, asperae arteriae anatomica historia, aërisque qualitatibus succincte traditis, de respiratione agitur. Quantum pulmones ad sanguinis indolem conferant, ex comparatione sanguinis animalium frigido et calido sanguine praeditorum perspici potest, ex eaque comparatione patet, pulmones ad sanguificationem maxime conferre. In pulmonibus sanguis refrigerari haud videtur. Calorem sanguinis a phlogisto pendere admodum probabile est. Arteriarum postea, venarum et vasorum lymphaticorum fabrica ususque exponitur, hisque praemissis de secretionibus agitur. Quamvis autem omnium humorum secretorum principia in sanguine jam insint, secreti tamen humores, priusquam secernantur, in sanguine non adsunt. Vires autem secernentes non in vi quadam attractili, aut gravitate specifica quaerendae sunt; positae potius in viva quadam vi sunt, quae in *vi separatoria*, *praeparatoria*, *secretoria* et *demuo secretoria* consistit.

Tertia sectione *animales functiones* pertractantur. p. 71. Primum de cerebro et neruis agitur, postea autem cerebri nervorumque functiones exponuntur. Sensorii communis sedem nobis incognitam esse. Nervos non tanquam chordas tensas agere, dubios tamen et hodie adhuc spiritus animales esse: sanguinis enim quantitate cerebro advecta non necessario sequi, ut secretio quaedam in eo peragatur, aliaque argumenta, quae in vitalium spirituum favorem adducantur, pariter dubia esse. Praestare itaque nerveam vim cerebro

rebro nervisque propriam, quoad naturam ſuam ig-
notam, verum ſecundum certas, nobis vero plane
incognitas leges agentem vim dicere.

Senſationis theoria, organorum ſenſibus externis
inſervientium anatome, ſenſuumque, qui in his orga-
p. 123. nis locum habent, theoria expoſitis, ad *internos ſen-
ſus* tranſitus eſt. Animae ſedes veroſimiliter in me-
dulla oblongata quaerenda eſt. Cerebri diverſam
magnitudinem, ſpecificam gravitatem cerebri variam,
variam cerebri et cerebelli rationem multum ad ani-
mi facultates mutandas in hominibus et animalibus
conferre certum eſt.

p. 130. Voluntariorum motuum theoria ſingulari cura
pertractatur. De muſculorum ſtructura et vi iis inſi-
ta, elaſticitate et irritabilitate.

p. 140. *Naturales actiones* quarta ſectione exponuntur, pri-
mumque de alimentis et maſticatione agitur. Homini
ſtructuram eam eſſe, ut alimentis partim animalibus,
partim vegetabilibus veſci poſſit. Salivae qualitates
et actiones in cibos traduntur, poſteaque, quid in ci-
borum deglutitione accidat, exponitur. Ciborum in
ventriculo mutationes bene deſcribuntur, diligens ta-
men expoſitio modi, quo cibi ſenſim in animalem
ſubſtantiam convertuntur, deſideratur.

De bilis et hepatis functionibus copioſe agitur,
nec non de ſanguinis in portarum vena contenti qua-
litate. Lienis uſum dubium adhuc eſſe. De intesti-
norum, vaſorum lacteorum, meſenterii, cet. fabrica
et functionibus.

p. 165. Quinta ſectione *de excretionibus* agitur. Foeca-
aluinarum excretione expoſita, de urinae ſecretione et
excretione, analyſi urinae chemica praemiſſa, agitur.
De inſenſibili perſpiratione, ſudore, materiaque,
quae exſpiratione e pulmonibus educitur (cuius ta-
men parcam tantum Cl. Vir mentionem facit.)

p. 177. *De iis, quae ad propagationem generis humani per-
tinent*, ſexta ſectione agitur. Primum, quid vir ad
gene-

generationem conferat, exponitur. *Tenſionem* coitu durante tantum in corpore cavernoſo penis inferiori produci. Debilitatem ex coitu a nervorum conſenſu (non a nobiliſſimi humoris profuſione?) oriri. Videtur Cl. Auctor ſemini virili propriam, activam, vivam, irritabilitati analogam vim, qua ovulo muliebri vitam inferre valet, tribuere; et ſpermatica animalcula, recentioribus obſeruationibus magis confirmata, negare.

De virginum partibus genitalibus. Irritabilitas valde magna utero tribuitur a muſcularibus fibris probabili modo praeſentibus deriuata. Corpus luteum poſt primam conceptionem (obſcuro paululum ſenſu, quum, WRISBERGIO, aliisque docentibus, poſt quamvis conceptionem corpus luteum naſcatur) in ovariis generari. Menſtruus fluxus periodicae uteri plethorae tribuitur. De eo, quod in partibus genitalibus accidit, vt conceptio ſuccedat, deque ipſa conceptionis theoria nihil certi traditur, phaenomena tantum exponuntur. Superfoetationem poſſibilem haud eſſe.

Matris imaginationis vis in foetum non plane negatur. Partus hiſtoria tradita, ea exponuntur, quae in foeminis poſt partum accidere ſolent. Tandem de differentia foetus et neogeniti agitur.

De nutritione. Nobis incognitum eſſe, quinam humor nutritioni quarundam partium inſerviat. Secretionum legibus eae inprimis partes ſanguinis ad has partes adferuntur, quorum nutritioni inprimis inſervire debent. Hae partes nutrientes vi vaſorum partis ipſius ulterius praeparantur, parti aſſimilantur poſtſiſque apponuntur.

Poſtremo de incremento, ſtatu et decremento corporis humani agitur. Decrementi inprimis cauſae bene exponuntur. p. 209.

Paulo prolixiores in argumento hujus libelli enarrando eam ob cauſam fuimus, ut, quanta rerum uti-

lium ſcituque neceſſariarum copia in tam angu[illegible] gellarum ſpatio incluſa ſit, lectores eo melius [illegible] ſpicere poſſent. Liber ceterum aphoriſmorum forma, nervea brevitate talique modo conſcriptus eſt, ut paucis verbis rerum copia magna comprehendatur.

XVI.

De limitandis laudibus et abuſu moſchi in medela morborum diſſertatio, auctore BALTHASARO LVDOVICO TRALLES, medico Vratislavienſi. Vratislaviae 1783. 8. 150 pagg.

Moſchi hiſtoriam LVCAS SCHROECKIVS doctiſſimam primum dedit, quumque eo tempore *Academiae Imperialis Naturae Curioſorum* collegae in corporibus ex tribus regnis naturae illuſtrandis ſingularem operam impenderent, et eorum quisque, in corpore naturali ſuo, quod elegerat, vires ſalutares magnas mirasque qualitates inuenire putaret, factum inde eſt, vt et moſcho plus virium adſcriberetur, atque liberaliter nimis commenderentur. Moſchi famam noſtris temporibus imprimis auxit *Pruſſiana dinenſis*, moſchum largiter ad hunc diem exhibens. Factum inde eſt, vt facili nimis fiducia et coeca[illegible] re hoc medicamentum in morbo qualicunque adhiberetur, vtque omnium medicorum paene operibus virium et virtutum, quas moſchus habuiſſe det, plena eſſent. Inualuit fane peſſima atque maxime dammoſa conſuetudo in Germania, vt medici medicinis ab exteris, falſis ſaepe experimentis, non ſatis fidis, laudatis, fidem maximam adhiberent, bonis vero, probatis et efficacibus omnes paene fides demant.

p. 21. „*Moſchus ſumma et ſtupenda plane vi agit in nervos totumque eorum ſyſtema, perſuadit et commendat.*“ Subtilitatis effluuiorum moſchi exempla plura [illegible] mirum,

runtur, ex eiusque effectibus generalioribus demonſtratur, moſchum feminis delicatioribus plane non dari viris vero non ita promiſcue poſſe, nec in noſocomiis adhibendum eſſe, quum odore ſuo fragrantiſſimo cubicula omnia inficiat, ſicque varias difficultates inducat.

„*Moſchus circulationem ſanguinis celeriorem reddit „et fortiorem, eaque propter etiam calorem in corpore „auget.*“ Hoc theorema teſtimoniis auctorum copioſiſſimis confirmatur, omnesque medici, qui ad pulſum in febribus excitandum moſchum praeſcribunt, eo ipſo profitentur, quod calefacientem et ſanguinem commouentem virtutem ipſi inhaerere credant.

„*Moſchus ſanguinem expandit, rarefacit eiusque* p. 32.
„*volumen auget.*“ Ab his moſchi hactenus enarratis viribus eius vis aphrodiſiaca pendet.

„*Moſchus ſanguinem ad caput congerit, vaſa eius „ob orbit et diſtendit, grauitatem eius, ſomnolentiam, „temulentiam inducit, tum et illum ſimul trudit ad pe„ſtus, in quo oppletionem et anxietatem excitat.*“ Ipſe omni modo venerabilis auctor ex moſcho in aſthmatis conuulſiui inſultu exhibito tantam capitis grauitatem obſeruauit, vt plumbeum aegro caput eſſe videretur. Inſignem capitis a moſcho propinato in dyſenterico cum viſus obnubilatione perturbationem vidit, puellaque ſub vſu moſchi per aliquot dies ſibi non conſcia fuit, tandemque, ceſſante eius vſu, ſibi reddita eſt. In eodem ſtatu vir per quinque dies, a moſchi vſu permanſit, et ſomnolentus, temulentus, delirans demum obiit. — Moſchi effectus paene lidem ſunt, ac opii, ita vt et opio moſchus, dum debita doſi exhibetur, ſubſtitui queat.

Generalioribus his de moſchi viribus et qualitatibus p. 45.
medicis praemiſſis, ad ſingulares morbos, ad quos moſchus ab auctoribus medicis laudatus eſt, Noſtet tranſit.

Primum de *hydrophobia* et laudato ad eam [illegible] *puluere* agitur.

Sinenſium autem medicina tam manca, [illegible] omnique vero experimento deſtituta eſt, vt [illegible] tionibus eorum parum fidei tribuendum ſit. [illegible] vires adſcripſerunt, quas certe non poſſidet; [illegible] eorum de hoc medicamento nugae in Anglia [illegible] ueneram facilem. Nullus haeret Noſter, quin [illegible] non ſaltem nil boni in hoc morbo praeſtare, ſed [illegible] tum nocumentum afferre; conuictiſſimus de [illegible] Nemo hactenus aſſeruit moſcho vim hoc rabi[illegible] venenum deſtruendi ſpecificam ineſſe, adeoque [illegible] eurius (aliaeque efficaciſſimae medicinae) ei [illegible] praeferendae ſunt. — Dubium praeterea adhuc [illegible] num calidae medicinae omnes ad morbum [illegible] dum valeant, in quo frigidae medicinae effectus [illegible] ximos edunt. Praeſtantiſſimi medici morbum [illegible] ſummè inflammatorium tractari volunt, [illegible] tem inflammationem producit, neque ob vim [illegible] qua ſanguinem ad caput pellit, tuto in [illegible] poteſt, in quo humores maxima vi ſuperiora [illegible]

p. 59. Maximam autem famam moſchus in [illegible] uulſiuis ſanandis acquiſiuit, verum paradoxum [illegible] tur, moſchum in paralyſi aeque ac in conuulſionibus laudari. Neque vlli conuulſionum cauſſae [illegible] aduerſus eſt, nec ad neruorum motus ſedandos [illegible] poteſt, quum praeternaturales neruorum motus [illegible] concitet. In epilepſia dari nequit, quum cauſſam [illegible] bi non tollat, et ſi antiſpaſmodicis in hoc morbo [illegible] nando medici indigeant, eorum praeſtantiorum [illegible] pia detur. Ad hyſtericum morbum non valet, [illegible] omnes hyſtericae neruorum ſenſilitatem ſuperare [illegible] beant, moſchus autem neruos moueat, nec [illegible] nis facile ferri poſſit. Nec in mania conuulſiua [illegible] cauſſis non aduerſum deſperatumque in deſperatiſſimo miſerrimo aegrorum ſtatu remedium, nulli [illegible] ni ſatis faciens, morbumque augens. Conſtat [illegible]

ſtris temporibus, maniam maxime refrigerantibus curari, aceto deſtillato, fotibus frigidis capiti impoſitis, caet. moſcho vero et opio contraria plane curationi praeſtantur.

Medicus, qui omnes phyſicos moſchi affectus ante oculos habet, eum in *morbis acutis*, inflammatoriis certe, non adhiberet, et tamen factum eſt, vt et ad hos morbos ab egregiis viris laudaretur. Concipi autem fere non poteſt, qua ratione remedium ſumme penetrans, circulationem ſanguinis cito et inſigni modo augens, irritans, reſoluens, commotum ſanguinem ad viſcera vitalia vehementer pellens, verbo, eosdem, ac ipſa febris, effectus in corpore producens, febri ſanandae aptum et par remedium haberi queat. Nec delirium ſanare poteſt remedium, quod ſana capita turbat. p. 108.

Quodſi denique et moſchus eam ob cauſſam in febribus laudatur, quod ſudorem promoueat ſalutarem ſymptomataque pernicioſa praefocantem, ex SYDENHAMI aliorumque omnium obſeruationibus clarum eſt, ſudoribus in febribus imprudenter excitatis plurimos morti traditos eſſe. Sed praecipue ad febres malignas et putridas moſchus laudatur, et alexipharmaca illi vis prae aliis longe eminens tribuitur. In veteribus autem iam multi fuere, qui malignitatem acutarum non ſolum non ab eo corrigi, verum potius augeri aſſeuerarunt; Anglorum vero auctoritate recentiores medici inprimis ſeducti ſunt, vt huic remedio ad hos morbos vires, quas non poſſidet, tribuerent. Pulſus quidem et ſanguinis circulatio in hoc morbo augeri debent, verum hoc non moſcho, ſed remediis excitantibus ſimulque putredini aduerſis, quae indicatio in his morbis omnibus princeps eſt, obtinetur. Nec in conuulſionibus febrilibus multum valuit, omnesque, qui eum ad eas laudant, et alia ſimul magis probata remedia commendant. Exanthemata febrilia certe quidem expellit, verum quid

quaeſo boni ex his ſanguinis diſſoluti ſymptomatis euidentiſſimis exſpectari poteſt? Praeſtat in his omnibus moſchi loco camphoram, myrrham, cortem Peruuianum (acida mineralia) in vſum vocare, quam calidiſſima hac medicina ignem vix exſtinguendum augere.

p. 174. In variolis parum leuaminis moſchus ſaepe attulit. Nec, quod ipſe Noſter expertus eſt, cito appenſus variolas benigniores reddidit.

Cephalicum remedium, quod cerebrum et neruos, eorumque fluidum grato ſtimulo excitet, promoueat, vel cerebrum neruosque roboret, moſchus haud eſt, atoniam potius cerebri et neruorum prodit.

In apoplexia moſchus nullo modo exhibenda eſt. Antiparalyticam vim illi quidem medici tribuerunt, verum diligenter diſtinguendum eſt inter paralyſin calidam frigidamque, moſchusque in calida paralyſi nullo modo adhibendus eſt.

p. 137. Nec in aſthmate conuulſiuo moſchus a probis medicis laudatur. In conuulſiua tuſſi non tam efficax, quam emeticae medicinae et cortex Peruuianus eſt. (Nos morbum manifeſte augeri ab eo in epidemia verna 1782. vidimus.) Nec phthiſicis probatur.

Vt autem iuſtum moſcho pretium ſtatuatur, tam quam probatum Noſtro eſt, opio et moſchi laudibus, effectuum ratione, arctiſſimam ſimilitudinem intercedere, adeoque et moſcho, ceu debiliori medicamento, incertaeque efficaciae, haud opus eſſe, quum omnia, quae a moſcho exſpectantur, opium felicius et certius praeſtet. Accedit, quod moſchus, ob peculiarem odorem, pluribus inimicus ſit. — De moſchi, genuinique veris qualitatibus, et adulterationibus (ſanguine inprimis variorum animalium) cognoſcendo.

Liber TISSOTO, veteri Noſtri amico, inſcriptus. Eum non ſine magna voluptate legimus, quum obſeruationibus cum moſcho inſtitutis probatum

parum

parum vtique praesidii ex medicamento exspectandum esse, quod a pluribus, in summo mortis periculo, ceu sacra ancora, adhibetur.

XVII.

PETRI IOANNIS VASTAPANI — de china china in synochis putribus animadversiones. Argentorati 1783. 8. pag. 162.

Quum Peruviani corticis usus amplissimus et summe efficax praedicetur in synochis putribus, quinimo penes multos fere unicum et tutissimum remedium sit, alii vero tantam antisepticam virtutem ipsi non tribuant, observationes, quas circa corticis usum in nosocomio IOANNIS BAPTISTAE Taurinensi, et in epidemicis constitutionibus variis collegit, Noster hoc libello publici juris fecit.

Corticis Peruviani analysi chemica ex variis auctoribus tradita, synochi putris naturam exponit. Duplex *lentoris* genus in hac febre observavit tum epidemice grassante; in aliis enim a materie phlogistico — rheumatica, initio morbi putrescentem superante, morbus ortus est, vix autem in aliis signa a primis morbi exordiis observata sunt, quae lentoris causam diathesi inflammatoriae tribuendam esse suaderent. In omnibus tamen aegris septicum miasma praevaluit. p. 7.

Symptomatibus huius febris traditis, num utilis in ea corticis Peruviani usus esse possit expenditur. Is autem ex Nostri sententia in tali febre, in qua externa quaedam causa humores ad *stasin* induxit, utilis esse non potest, quum lentor humorum oppugnandus sit, isque ab omnibus tonicis et subadstringentibus augeatur. In morbis inprimis a rheumatica acrimonia pendentibus haec stasis et adstringentium noxa valde magna est. Acrimoniae etiam, febribus ansam praebenti et a febribus generatae, corrigendae cortex Peruvianus penitus impar est, et his, aliisque ejusdem argumenti, rationibus probatur, Peruvianum p. 18.

corticem neque in incremento, neque in ſtatu, nec in decremento febrium ſynocharum putrium conveniat.

Deinde et ex ipſo corticis Peruviani ad febres aut remittentes aut intermittentes ſanandas adhibiti ſucceſſu et ex teſtimoniis medicorum copioſe allatis probatur, hunc corticem, febre nullas remiſſiones habente, nullo plane modo convenire, metaſtaſibusque perniciosiſſimis aliisque ſymptomatibus diriſſimis anſam dari, ſi in febribus vere continuis continentibus, vel et nulla topica inflammatione ſtipatae ſint, exhibeatur.

p. 61. Neque ex putredine in ſynocho putri praeſente indicatio corticem Peruvianum adhibendi deſumenda eſt. Longe enim alia ratio experimentorum eſt cum cortice et carnibus aut putridis aut recentibus inſtitutorum ad antiſepticam illius vim evincendam, eorumque, quae in vivo corpore animali inſtituuntur, ubi indubitatam corticis antiſepticam vim ponamus, in ſynocho putri, experientia teſte, oeconomia animalis ſemper pervertitur, ſi ea, quae a ſanitatis regula receſſerunt, non eliminentur; indeque tam varii tamque difficiles morbi, qui poſt febres ſynochas continuas cortice curatas orti ſunt, explicari debent. Denique et vim vere antiſepticam corticis Peruviani in putridis febribus temere, et parum firmis rationibus in dubium vocat.

p. 84. Ex omnibus autem hactenus expoſitis ex. Noſtimente patet, chinam chinam adverſus febres in corruptionem pronas, quodcunque fuerit harum ſtadium, promiſcue adhibendam haud eſſe.

Quae omnia argumenta corticis Peruviani ſalutem in morbi genere prohibentia, in quo omnes medici corticisque fautores maximi eum pro medicamento habuerunt, ſumma circumſpectione et cautiſſime, febre continenti et humorum diſſolutione putrida non ſumma exiſtentibus, adhibendo, obſervationibus ab Auctore confirmantur, morborumque hiſtoriis.

Prima obſervatione febris hiſtoria deſcribitur continentis primum, poſtea manifeſte remittentis, cor-

ti

cis Peruviani usu in continentem iterum mutatae. (Recidivam sordes non satis evacuatae produxerunt, eamque cortex, omnibus debite praemissis, certe non produxisset.) In altero casu in eadem re vehementer peccatum est, et petechiae post corticis usum non corticis, non stagnationis ab eo inductae, sed sordium a cortice interceptarum effectus fuere. Corticis malam vim hae observationes certe non probant, verum inconsideratam, damnosam, morbo faventem corticisque usui contrariam Auctoris medendi methodum. In corticis enim usu haec regula, experientia et probatissimis medicis probantibus, prima est, *eum tuto dari non posse, neque speratos effectus edere, nisi probe antea a sordibus purgato corpore.*

Tertia historia pariter non corticis, sed praeposterae sanationis infelices effectus enarrantur. Aegro febre tertiana inflammatoria laboranti ipecacuanha primum (Salina primum ad sordes praeparandas medicina et tartarus emeticus ad eas exturbandas praestitisset) deinde nitrum cum *opio* (!), postea cortex magna dosi datus est. Talis medendi methodus non solum ad morbum maligniorem reddendum, sed et ad mortem advocandam prae omnibus apta est. Praestitisset bilem tenacissimam, foetidissimam, quam aeger in pernicioso morbi decursu copiose dejiciebat, efficaci modo evacuare, et *peracta* hac evacuatione corticem dare.

In omnibus sequentibus historiis idem error in medendo gravissimus castigandus est. Emetica, et indicationibus manifestissimis praesentibus, aegris non, ejusque loco purgans medicina data est, posteaque auctor, praemissis subinde medicinis impuri fomitis corruptionem manifeste augentibus, *aqua theriacali* (corpore, nondum purgato atque satis adhuc impuro!) cet. corticem adhibuit, naturali hoc penitus eventu, ut febris augeretur et ex benigna maligna evaderet.

Corollaria libro addita sunt, in quibus adseritur, p. 159.

ſine omni praemittendorum mentione *tuto* exhiberi poſſe corticem Peruvianum, ſi tempus remiſſionis diurnum ſatis ſit. (Subinde, *Torti* hoc probante, et breviſſimo remiſſionis tempore exiſtente, *unica aegri ſalus* in cortice poſita eſt.)

Nunquam dandum eſſe corticem in acuti morbi principio, augmento et ſtatu, tertio corollario adfertur, quod pariter falſum eſt; ſubinde enim, morbo putrido exiſtente, vita aegri cortice ſervanda eſt, nullo plane ad tempus morbi, ſi praemittenda praemiſſa fuerint, reſpectu habito.

Veriſſima ſunt, quae quinto corollario de peſſimis corticis, corpore non purgato, effectibus Noſter affert. Verum medendi methodus, quam, hiſtoria morborum probantibus, ipſe, adhibuit, his, quae in corollario adferuntur, directe contraria eſt.

Quum noſtris temporibus, virorum de medica ſcientia praeclare meritorum inſigni omnique modo laudabili opera, corticis Peruviani uſus in morbis acutis et intermittentibus rite jam aeſtimatus et determinatus ſit, non opus eſt, ut Auctoris argumenta futilia, et jam ab aliis, BAGLIVIO inprimis, melius aptiusque agitata ulterius convellantur; caveant tamen ii, quibus in rebus medicis non conſtans mens eſt, ne hujus libri, inprimis hiſtoriarum, argumenta decipiantur, eoque commoti medicinam damnent, quae ſi rite datur, praeſtantior, ſi vero praepoſtere adhibetur, nocentior nulla reperitur.

XVIII.

WENCESLAI TRNKA de KRZOWITZ Hiſtoria febris hecticae, omnis aeui obſervata continens. Vindobonae 1783. 8. 4½ B.

Notiſſima Celeberrimi Auctoris opera ſunt, quae febres intermittentes, amaurosin, ſurditatem, lu-

leucorrhoeam, caet. illustrauit, et quamuis in iis parum inueniatur, quod amplificandae medicinae proprie inseruiat, vtile tamen et jucundum est, in his libris omnia paene, quae ab auctoribus de morbi quodam genere dicta sunt, in scitum ordinem redacta digestaque reperire.

Talium autem librorum vtilitas quum inde maxime ex parte pendeat, vt omnia pathologo practicoque setu necessaria in iis contineantur, primum ordinem in opere seruatum, posteaque ea, quae libro desunt, aut addi possunt, fideliter enarrabimus.

In duas partes liber diuisus est. Prima de natura et varietate febris hecticae agitur. *Hectica febris* Nostro *febris continua remittens chronica est, a pastu vesperique semper ingraueſcens et corpus sensim extenuans.* Eius mentionem HIPPOCRATES non fecit. (Nominis quidem, quantum memini, non, verum symptomatum, varietatum et specierum febris hecticae certissime: cf. de veterum doctrinis circa hunc morbum, doctam b. BRENDELII dissertationem, in *Opusc. part. III.* recusam *de phthiseos hecticaeque discrimine.*)

Hecticae febris genera duo statuuntur. *Protopathica*, seu primaria citra aliam aegritudinem, ex solo rerum non naturalium errore ortum ducit, eaque rarissima (forte medicis tali modo nunquam visa) est, *deuteropathica* vero aut *genetica* (a morbo alio praesente producta) aut *symptomatica* est, huicque et phthiseorum febris accensetur. Porro hectica febris, quoad statum in inchoatam, adultam et consummatam diuiditur, (incognitus est Cl° Viro, vt iam monuimus, liber doctissimus BRENDELII, huc inprimis referendus.)

Symptomatibus febris hecticae (pariter non omnibus, eorum enim mira, pro loci affecti ratione, varietas est) generalioribus satis bene expositis, *causae procatarcticae* recensentur. Hecticae febris ex praeternaturalibus in corpore genitis, scirrhis, caet. oriundae historia copiose pertractatur. In procatarcticis hecti-

p. 41.

cae

cae febris cauſſis aeſtus ſoliis, pathemata animi, dyſpepta alimenta, ſpirituoſi potus, acria medicamenta (mercurius ſublimatus, cortex Peruuianus, caet.) vermes, humorum, chyli, lactis, ſanguinis, ſeri, lymphae, ſeminis, ſpirituum iactura inſignis, metaſtaſes ſudoris, ſanguinis, exanthematum, vlcerum, tumorum, febres ſudatoriae, acutae inflammatoriae, remittentes gallicae, bilioſae, intermittentes, contagium, recenſentur.

p. 140. *Diagnoſis febris hecticae abſoluta* vnico hoc ſigno pathognomonico abſoluitur, calore febrili ſcilicet poſt paſtum ſemper ingraueſcente, cum pulſu accelerato. *Relatiua* vero diagnoſis difficilior eſt, inprimis complicatarum cum intermittentibus febribus, continuis remittentibus, caet.

p. 147. *Prognoſis* in ſequentibus conſtat: 1) diuturna admodum eſt febris hectica, 2) tumores, hydropes, lacrymandi impotentia, articulorum crepitus, ancylo-ſes, phthiſes, illius effectus ſunt. 3) curabilitas febris hecticae a vario eius gradu variaque cauſſa pendet. 4) hectica febris interdum calore aut frigore atmoſphaerae, appetitu automatico, febre, variis euacuationis, metaſtaſibus variis ſoluitur. Lethalia in hectica febre ſigna ſunt recidiua, orthopnoea, lethargus, tympanites, paralyſis, pulmonum exulceratio, marasmus cum Hippocratica facie, diarrhoea colliquatiua, exanthemata varia, vrina pinguis.

p. 189. Altera operis parte *medendi febri hecticae methodus* traditur. Primum *de emeticis* agitur, quae requiruntur, ſi dyſpepta in ventriculo collecta ſunt, vermes ventriculo inſident, humorum prauorum colluuies in primis vlis adeſt. Amplioris autem longe in febre hectica vtilitatis purgantia ſunt, quae tamen, inſigni virium proſtratione praeſente, aut in febre hectica ſimplici, non dari debent. Agaricus fungus parua doſi, ſed ſaepe datus in cohibendis hecticorum ſudoribus efficaciſſimus eſt.

De aperientium vſu. In his humectantia principem locum tenent. Aqua pura, aquae ſoteriae, emulſa varia (lactis, in his morbis celebratiſſimi remedii, lactis praeſertim aſinini parca, medicamentique dignitati nullo modo conueniens mentio redditur) optima humectantia ſunt. In incidentibus ſal ammoniacus eiusque ſpiritus, antihecticum POTERII, (hoc nocentiſſimum omni modo medicamentum, hecticum potius, quam antihecticum, ab Auctore valde laudatur, et, quum tamen adſtringat, incidentium claſſi adſcribitur. Maculam certe his nimis copioſis medicamenti humano corpori tam aduerſi laudibus libro ſuo Vir Cl. indelebilem inuſſit) cicuta laudantur. Novum et inauditum nobis hactenus medicamentorum genus *haemorrhagica* conſtituunt. De mercurii ad febrem hecticam vſu. p. 216.

Spatioſus maxime medicamentorum roborantium campus eſt. In ſtomachicis, quae „poſt emetica et „cathartica — *continuo* ſunt exhibenda", quaſſiae lignum (praeſtat cortex Peruuianus) et mentha pipe- ritis laudantur. Roborantibus et reſoluentia ſtaſes lentorum humorum ab atonia vaſorum collectas accenſentur. Ad eorum claſſem cereuiſiae variis herbarum infuſionibus medicatae, glandes quernae decoctae, martialia, balſamica antiſeptica, caet. referuntur. Medicamenta antiphlogiſtica ſimul et antiſeptica, *antipyra* Noſtro dicta, *Saturnino* ſunt, inprimis ſaccharum ſaturni et tinctura antiphthiſica GRAMANNI, de quibus dicit, non mirum eſſe, ſi interno vſui data nonnunquam bonos praeſtiterint effectus, praeſertim in colliquandis colliquatiuis ſudoribus „*quum huiusmodi* p. 250. „*medicamenta, aquae* GUYLARDI *dolumento, ad ex-* „*ternas inflammationes valeant.*" (Quanta, et quam indigna omni modo medico concluſio!) Ea tamen non tantopere, quam POTERII hecticum medicamentum, laudat Cl. Vir, talium caeteroquin, vt facile ex ipſa tractatione patet, medicamentorum amator, p. 273.

tutio-

tutioraque iis putat acida mineralia, Peruvianum cor-
ticem, mixturam GRIFFITHII, ex myrrha, aqua
alexeteria, aqua alia ſpirituoſa, ſale abſynthii et mer-
tis vitriolo, cui, loco ſalis abſynthii, ſubinde et nitrum
(mala miſcela, ob duo acida mineralia coniuncta)
adiicitur.

p. 308. De *chirurgicis adminiculis* altera partis alterius ſe-
ctione agitur, ſanguinis miſſione, quam temere in-
ſtituendam in febre hectica haud putat. (ſcarificatio-
nis, cucurbitulatum ſiccarum, frictionum, veſicato-
rium nulla fere mentio iniecta eſt.) De balneorum
tepidorum ex aqua communi et aquis ſoteriis vſu. Bal-
nea et frigida ſubinde hecticis vtiliſſima fuere. De
enematibus, litu, fotu, ceratis, caet. De fonticulis
aliisque vlceribus in hecticis excitandis (et hoc caput
calamo nimis feſtinanti conſcriptum eſt.)

p. 338. *Diaeta hecticorum* tertia ſectione pertractatur. De
cibis hecticorum. Iura varia (viperarum, Italis et Gal-
lis celebratiſſima, omiſſa ſunt) ptiſanae, cremores, pul-
ticulae tenerae variae, gelatinae animales, fructus ho-
raei, ſemina demulcentia, piſces ſaxatiles, carnes ra-
nae, teſtudines, oſtrea (?), cochleae laudantur. Pti-
ſanae hordei, lac humanum, aſininum, caprillum,
vaccinum hecticis commendantur. Valde mirum ſi-
mus, quod Noſter lac in hypochondriacis — ſtoma-
cho debili laborantibus, viſcerum ſcirrhos et vlcera
habentibus „*quia aut inutile eſt lac, aut noxium etiam*
„*ex id genus cauſſis hectica laborantibus*," (!!) in his
qui cephalalgia et febre putrida laborant, contra ea
dicari adſerat. De motu, quiete, aëre (nulla aëris
phlogiſticati, vtiliſſimi in talibus morbis, mentione
facta) lecto, ſomno, animi pathematibus hecti-
rum, caet.

p. 385. Addime (haud bono certe conſilio) libro hiſtoria
hecticorum ſunt EX AMATO LVSITANO, P. FORE-
STO, LAVRENTIO HEISTERO, FRIDERICO HOF-
MAN-

MANNO, KALTSCHMIEDIO, SCHENFELDERO collectae. Index auctorum rerumque adiectus est.

Vt autem de huius libri argumento candidum iudicium feramus, negari nullo modo potest, eum multa continere ex auctoribus collecta, (propria enim non habet Noster) scitu vtilia necessariaque; verum in hoc inprimis Vir Cl. hallucinatus est, quod partim non omnia scitu necessaria tradiderit, eiusque adeo liber „*omnis aeui obseruata*" haud contineat, partim autem et obseruata, ex auctoribus, melioribus saepe, sideque vere dignis non selectis, perscripta tam copiose in eo enarrentur, vt liber, sine omni rerum in eo contentarum detrimento, in angustius longe spatium redigi potuisset.

XIX.

Dr. ERNST ANTON NICOLAI — *Sammlung von Beobachtungen, Recepten und Kurarten, mit theoretisch-praktischen Anmerkungen. Iena. 1784. 8. 840. pagg.* Autore ERNESTO ANTONIO NICOLAI.

i. e.

Observationum, formularum medicinalium et curandi methodorum collectio. —

Iam ante aliquot annos Ill. Auctor librum de medicamentorum formulis medicamentisque in morbis iis adhibendis edidit, cuius nos etiam in his commentariis mentionem fecimus*). Hoc nunc edito opere hic liber continuatur, hoc tamen modo, ut partim de singularibus medicamentis agatur, partim vero morbi quidam pertractentur iisque maxime conveniens medendi methodus tradatur.

Primum *de insigni usu clysterum ex vini aceto paratorum in iliaca passione, alui obstructione, intestinorum inflammatione, cet. agitur, simulque de insigni aceti ad varios morbos vi disseritur.*

In

*) vid. Comm. nostr. dec. III. Suppl. 3. p. 547.

In incarcerata hernia inguinali, omnibus aliis medicinis irritis, clysteres ex vini aceto spasmos morbumque sustulerunt, quod tamen inflammationi adversae aceti vi non tribueremus, verum potius irritanti, vehementiores constrictiones concitanti. Pleribusaliis casibus fuse probatur, clysteres ex aceto ad intestinorum inflammationem, alvi obstructionem, cephalalgiam ex colluvie in primis viis ortam, cet. valuisse. Acetum vini simplex destillato longe praeferendum esse, ob varia peregrina huic admixta (Nos nuperrime adhuc in pharmacopolio quodam potionem MINDERERI plane coeruleam venum prostare vidimus.) De aceti ad morbos putridos curandos, et ad epidemicos putridos morbos avertendos vi, de variis acetum concentrandi modis, et de aceti cum aqua diluti ad febres acutas et morbos ex sanguinis orgasmo usu. De insigni aceti ad venenatos fungorum effectus praefocandos, aliaque venena animalia, vegetabilia et mineralia usu.

p. 63. *Historia morbi duodecim asae foetidae unciis pursuati.* Tumor fuit in abdominali regione ab obstructis mesenterii glandulis pendens. Resolventia salina amaraque vegetabilia incassum adhibita fuerant. Aeger demum pilulis ex asa foetida cum gummi ammoniaco copiose assumtis perfecte sanatus est.

p. 71. *Furoris uterini curatio, injectione frigidae aquae in rectum intestinum, capitisque et partium verendarum fomentationibus frigidis peracta.*

p. 75. *De galbani essentiae ad varios morbos insigni usu.* Rheumaticos dolores intensos a perfrigerio ortos, externe applicata, sedavit. De modo hanc essentiam, efficacem vtique medicinam, parandi et de viribus illius generalioribus varia.

p. 84. *De diversa hydropi medendi methodo.* Variis ex aliis auctoribus de hydropis speciebus diversis, symptomatibus, causis remotioribus et propioribus traditis, de medicamentis ad hydropem alterantibus et evacu-

evacuantibus, inprimis de paracenteſi abdominis, aquarumque mira quantitate, hac operatione iteratis vicibus inſtituta, educta, et de ejus ad hydropem curandum utilitate dubia adhuc agitur. De aquis hydropicis non omnibus evacuandis et de faſciae ab Ill. quondam MONRO deſcriptae uſu. (Nos compreſſionem, quae manuum ope fit, ipſo aquarum ex vulnere profluvio durante, magis amamus, aquisque evacuatis abdomen faſcia obvoluimus; faſcia enim, dum abdomen mole minuitur, facile cedit, ipſumque ſubinde profluvium aquarum impedit) De medicinis emeticis hydropicis caute propinandis. Eas eo tantum in caſu convenire, ubi viſcerum infimi ventris obſtructio nondum invaluerit. In purgantibus leniora fortioribus ſemper praeferenda eſſe. Pilulae hydropicae BACHERI fuſe deſcribuntur, ſimulque demonſtratur, hellebori extractum jam ex longo tempore ad hydropem felici cum ſucceſſu adhibitum eſſe. Pilulae WILDEGANSII et JUNCKERI cum BACHERI pilulis ſatis ſane conueniunt. De elaterio forti ad hydropem purgante medicamento. Veteres efficacius elaterium ſuum ex pulpa colocynthidis paraſſe, nos idem ex ſucco horum cucumerum aquoſo parare, indeque potiſſimum effectus diuerſitatem pendere. De gummi guttae, rhamno cathartico, radicis ireos noſtratis ſucco, turpeto minerali, ſcammonio, aliisque purgantibus medicinis ad hydropem adhiberi ſolitis.

Ab his ad *diureticas* transitus eſt, in iisque de terebinthina primum agitur. Tartari cremor ad diureſin producendam valde laudatur. (Nos in inveterato hydrope nullos ab eius vſu ſucceſſus vidimus.) Mineralia acida in hydrope parum, magis vero dulcificata conueniunt. De cinerum, aliorumque ſalium alcalinorum et mediorum, nec non de vitrioli, cantharidum, caet. ad hydropem vſu. p. 250.

Diureticis autem medicinis paene omnibus ad hydropem adhiberi ſolitis juniperi baccae palmam du-

biam reddunt. Earum ſolo vſu Noſter plures hydropicos ſanauit. Colchici oxymel valde laudatur, idque ſquillae Noſter fere praeferre videtur.

p. 300. Diaphoreticae medicinae plures allegantur, in iisque et *Doveri* puluis. De mercurialibus, antimonialibus, roborantibus martialibus ad hydropem medicinis. Infuſum glandium quernarum toſtarum ſubinde ſalutares in hydrope effectus praeſtitiſſe. De olei externo ad hydropem vſu. (Chamomillae oleum ab Ill. WEIKARDO adeo laudatum nobis tamen non ſucceſſit) De cutis vſtione, ſcarificatione, per veſicatoria impoſita exulceratione, caet. Vulnerum vlcerumque hac arte factorum cura, ne gangraena accedat, bene traditur. De thermis, balneisque in hydrope adhibendis.

p. 385. Quid irritantes clyſteres in hydrope valeant, hiſtoriis valde notabilibus exponitur. De venaeſectionis in hydrope vſu, et de faſciis relaxatam ab aquis diſtentamque cutem adſtringentibus. De diaeta hydropicorum, inprimis copioſo potu iis adminiſtrando, ex MILLMANNI et BACHERI operibus. Additae his omnibus hiſtoriae improuiſarum hydropis curationum ſunt.

p. 431. *De oculorum morbis et medicinis ad eos.* De quibusdam tantum oculorum morbis et de ophthalmia primum Noſter loquitur. In omni vehementi ophthalmia aut jugularem venam, aut temporalem arteriam incidendam, oculorum vero ſcarificationem damnoſam eſſe. De hirudinibus oculis ex inflammatione dolentibus applicandis. Reuellentia fortiora praemiſſa ſanguinis miſſione demum adhibenda eſſe. Externarum medicinarum, quae dolentibus oculis imponi ſolent, formulae copioſiſſimae exhibentur. De pſorophthalmia, puris in oculis recens natorum collectione, caet. In palpebrarum aut conjunctiuae tunicae ſuppuratione medicamentum *Tveſii* ex butyro

et

et mercurio praecipitato rubro omnibus aliis praestare. De corneae opacitate, medicinisque ad corneae maculas delendas. Earum formulae plurimae ex probatissimis auctoribus describuntur. Nucum juglandium oleum ad corneae maculas prae aliis valere.

De amaurosi. Eam haud raro ab infarctu vaso- p. 544.
rum oculi oriri et antiphlogistico regimine et sanguinis missionibus curandam esse. Saepius et morbi causam in primis viis latere. Signa amauroseos, eiusque characteres essentiales exacte describuntur, simulque ex observationibus probatissimorum virorum probatur, pupillae pigritiem immobilitatemque amauroseos signum certum haud esse. Causarum amauroseos partem maximam in sanguine latere, saepius etiam hunc morbum a morbida materie in corpore latente produci. Aliae causae amauroseos ex metastasi, ex pure aliaue materia peregrina in orbitae parte posteriori collecta, ex vasorum nimia inanitione, caet. fuse recensentur et observationibus illustrantur. — De humoris vitrei morbis amaurosin mentientibus quaedam subnexa sunt.

His praemissis de *amauroseos curatione* agitur. p. 600.
Electricitatis in hoc morbo vsus exemplis copiosis illustratur. De aliis medicinis non tam fuse agitur.

De curationibus morborum magnetis ope peractis. p. 627.
Historia huius famosi et a Vindobonensibus sine dubio nimis laudati remedii exacte et ita tradita est, vt hac tractatione omnes paene observationes circa magnetis vim, quae publici juris factae sunt, excerptae contineantur. Vim remedii ad dentium dolorem primum nostris temporibus KLAERICH, celebris Gottingensis medicus, detexit. — Haec operis pars, quum absolutam paene historiam magnetismi contineat, prae omnibus aliis nobis placuit, eamque omnibus, qui historiam rerum ad medicinam pertinentium amant, ceu lectu dignissimam, jure commendamus. Casus

tamen, notabilis omni modo et doctiſſime a Cl. DE WOLTTER deſcripti, nulla mentio injecta eſt.

p. 749. *De inſigni aquarum medicatarum Schwalbacenſium vſu.* Scriptorum de his aquis hiſtoria perſcripta, locus deſcribitur, ex quo hae aquae ſcaturiunt, earumque analyſis chymica exhibetur. Proficuae fuere in animi morbis melancholicis, infarctu viſcerum infimi ventris ex conaminibus haemorrhoidalibus, oculorum inflammatione arthritica, vomitu ex cardialgia, haemoptyſi, neruorum inſigni debilitate, conuulſionibus, rheumaticis febribus, variisque capitis ex antiquo vulnere ſymptomatibus.

p. 771. *De emeticorum in tumoribus ſalutaribus efficacia.*

p. 774. *De auri tincturis, aurique tinctura* BESTUSCHEW *et la* MOTTE. Et in hac diſſertatione omnia paene excerpta inueniuntur, quae de celeberrimo hoc quondam medicamento ſcripta ſunt. Eius hiſtoria optime tradita eſt, modique illud conficiendi varii tali modo perſcripti ſunt, vt claram omni modo medicamenti ideam ex iis haurire valeas. Methodus medicamentum praeparandi a GEORGI publici juris facta et libro III. PALLAS: *Nordiſche Beyträge* inſerta, omnium optima eſt. — De auri tincturis. Eas paene omnes ex auri in oleo quodam aethereo aut naphtha ſolutione conſtare.

p. 516.

Eſſentiae dulcis, modique, quo ea parari ſolet, deſcriptione ex Ill. BALDINGERI *promtuario*, finis libro imponitur, multa lectu digna et practico medicoſcitu inprimis neceſſaria, bono ordine digeſta continenti. —

XX.

Nouveaux Memoires de l' Academie de Dijon, pour la Partie des ſciences et arts. Premier Semeſtre, CIↃIↃCCLXXXII. A Dijon, chez Cauſſe, Imprimeur-Libraire de l'Acad mie des

des ſciences, 1783. 8. pagg. 225, cum tabula aen.

i. e.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum et artium Diuionenſis. Semeſtre primum.

In prima diſputatione, cuius Auctor DE MORVEAV eſt, nonnulla tentamina cum variis terreſtribus, metallicisque calcibus, quibus pingendi artis magiſtri vti poſſint, inſtituta recenſentur, vt appareret, quae pigmenta cum oleoſis et gummoſis liquidis coniunctionem facile inirent, nec mutationi a phlogiſto eſſent obnoxia. Neque tamen Auctor hic de tentaminibus, quae ad viride, coeruleum, cet. pigmentum ſpectant, reddidit rationem, ſed ea modo praeparata accurate deſcripſit, quae forte ceruſſae ſubſtitui poſſent. Hanc enim plumbi calcem, quae ſola hodie in vſu eſt, haud dignam eſſe laudibus et commendatione demonſtrat, quae, vtut hoc, vel illo modo praeparata, et ad vſum velut aptior reddita ſit, ita tamen mutari omnino nequeat, vt ſua ipſi maneat albedo, ſi phlogiſticis vaporibus, acidi quibusdam guttis hepate ſulphuris expulſis, exponatur. Accedit, quod hoc ipſum calcinatum plumbum iis, qui manibus illud tractant, nociuum ſit atque infeſtum, vtpote qui varios, eosque graues inde morbos contrahant. Hinc vna plures cauſſae fuerunt, quae Noſtrum ad hos labores ſuſcipiendos excitarent, qui, quos euentus habuerint, iam diſpiciamus. p. 1.

Et quod ad ſimplices terras attinet, eae, quamuis fixae admodum ſint, nec a phlogiſto valde mutentur, haud tamen commendari merentur pictoribus, quae oleoſis et gummoſis liquidis difficulter nubant, et praeterea, ſi his fluidis iunctae fuerint, albedine ſua orbentur. Ipſa aluminis terra, quam BAVMEVS his vſibus idoneam cenſuit, album pigmentum haud largita eſt Noſtro; nec p. 9.

magis apta ad pictorum vſum varia cum naturae, tum artis producta, velut iaſpidem album, ſpecum ſcintillans, gypſum ſpatoſum, marmor album, porcellanam, ſeleniten, boracem calcareum, maſſas mixtione et fuſione quarundam terrarum enatas, cet. reperit, quae proinde calcinato plumbo ſubſtitui omnino non poſſe patet. Solus fere tartarus calcareus ex calce viua et tartari cremore productus Auctori aliqua commendatione dignus viſus eſt; etenim eum album, nec phlogiſticis vaporibus mutandum pigmentum cum gummoſis liquidis, cum oleoſis non item, exhibuiſſe animaduertit.

p. 14. Ex periculis, quae cum metallicis calcibus Noſter inſtituit, hoc clarum redditum eſt, ſtannum pigmentum largiri, quod phlogiſtico vapore non mutetur, antimonium autem cum nitro calcinatum in terreſtrem puluerem abire, qui ſatis albus quidem ſit, ſed mox albedinem perdat, ſi phlogiſti halitibus fuerit expoſitus. Diaphoretica antimonii calx aeque ac perlata materia cum oleo mixta et in aëre iisdem effluuiis inquinato aſſeruata flauedinem contraxit, ſimilemque etiam mutationem biſmuthi magiſterium ſubiit, zincum e contrario, ſiue per ſe, aut cum nitro calcinatum, ſiue alcalini ſalis, aut aquae calcis ope ex ſolutione praecipitatum eſſet, terreſtrem materiam, commemoratis pulueribus omnino praeferendam, dedit, quae cum oleis et mucilaginoſis liquidis coniunctionem lubenter ineat, neque a phlogiſto alteretur; hinc eam commendandam valde pictoribus eſſe Noſter ratus, de inuenienda methodo, qua negotio facili et ſine magnis ſumtibus parari ea poſſit, fuit ſollicitus. Nec profecto ſpe excidit ſua; nam operationem, de qua alia occaſione vberius locuturus eſt, ita inſtitui poſſe fatetur, vt haec calx albiſſima, ſubtiliſſimaque euadat, neque tamen magno pretio conſtet, cet. Magneſiam vitriariorum et arſenicum Auctor etiam diſquiſiuit, neutrum tamen metalli-

tallicum corpus in pigmentum album et commendabile abire expertus est.

Secundi Commentarii Auctor MARETVS est, qui p. 25. in eo de construendis nosocomiis sermocinatur, et simul de modo, quo effici possit, vt in aegrotorum cubicalis aër purus et salubris seruetur, consilia dat, quae profecto attentione diguissima sunt. Etenim quum certum omnino atque euictum sit, aegrotos, quorum quaudoque numerus in nosocomiis admodum insignis est, exhalationibus suis aërem, quem inspirant, corrumpere, eumque ita reddere impurum, vt noxius ipsis et saepenumero funestus euadat, eorumque morbos faciat curatu difficiliores; non potest inanis et superuacanea videri Auctoris opera, quam in eo consumsit, vt remedia inueniret, quibus impediri possit, quo minus huiusmodi atmosphaerae mutatio locum habeat. Arbitratur autem, hunc omnino finem obtineri posse, si ita construantur in nosocomiis cubicula, vt massa aëris in iis stagnans pro lubitu mutari, ideoque agrotorum atmosphaera puro aëre velut emendari queat. Hinc praecepta varia dedit, quae, quanto grauioribus et ad persuadendum aptioribus argumentis nituntur, tanto magis digna sunt, quorum rationem architecti in construendo huiusmodi aedificio habeant. Demonstrauit autem primum MARETVS, aërem in superiori aedium parte minus corruptum esse, atque in inferiori; carnem quippe in atmosphaera aegris proxima breui tempore in putredinem abiisse, eam contra, quae remoto ab aegris loco seruaretur, diu mansisse saluam et perfectam expertus est. Hinc conuenit, vt ille aër, qui lectos aegrorum proxime circumstat, saepe mutetur, cet. — Formam ipsam, quam habere debet nosocomium, accurate descripsit, eamque etiam icone illustrauit. Sub finem addidit nonnulla de quibusdam aëris corrupti emendandi mediis, scilicet de acido salis volatilisato et vegetatione plantarum, eaque nonnunquam summo cum fructu adhiberi posse contendit.

Hunc tractatum excipit obſeruatio de congelatione acidi vitriolici concentrati, quam DE MORVEAV fecit, litterisque conſignauit. Quum enim
p. 68. non conueniant inter ſe chemiae doctores de frigoris gradu, qui congelando vitrioli acido ſufficiat, quaedam tentamina repetenda Noſter duxit, quibus fuit edoctus, hoc acidum frigore tredecim gradibus multo inferiori ſolidam naturam induere. Scilicet poſtquam acidi aliquam portionem concentrauerat, phialam, qua illud erat exceptum, in vas glaciei plenum indidit, ſtatimque ſpiritum nitri fumantem glaciei affudit, quo facto tale frigus productum fuit, vt thermometrum ad gr. 16 ſub 0 deſcenderet. Atqui hoc non ſolum frigore, verum etiam gradu thermometri 2—0 concentratum acidum ſolidum euaſit, dilutum non item. Congelata acidi maſſa albida apparuit et ſemitranſparens, viſaque eſt niuis fere ſimilis, quae, antea quodammodo calore liquata, nouo frigore rurſus ſoliditatem adepta eſt; regulari enim cryſtallina forma omnino non gaudebat. Ceterum quod fluidum reſiterat ſuper congelatum acidum, nec in ferrum, nec in calcareum lapidem agere videbatur, quod nimis concentratum erat; ipſum congelatum acidum nec corium album, nec lignum nigrum reddidit, cet.

p. 73. In quarto tractatu ſiſtitur Tabula arcuum ſemidiurnorum ſub parallelo Diuionenſi, 47° 19′ 20″, ad ſingula quinque minuta declinationis, tam borealis, quam auſtralis, inde a 0, vsque ad 31 gr. auctore ROGER.

p. 100. Quintus commentarius complectitur examina quaedam minerarum cupri earum, quae viridi et coeruleo colore conſpicuae ſunt, et montani viridis atque coerulei nominibus ab aliis aeris mineris diſtinguuntur. Ea quidem nuper SAGIO opinio fuit, coeruleum minerarum cupri colorem a volatili alcali repetendum eſſe, tamen neminem vnquam hoc lixiuum ſal ex huiusmodi mineris educere potuiſſe conſtat. Hinc debia admodum DE MORVEAV, huius diatribes Auctori, viſa eſt SAGII ſententia, praeſertim quum ea in co-

pia

pia volatile alcali in tellure haud inueniatur, vt possit coerulei coloris omnium cupri mineratum, quae eo gaudent, causa existere. Neque tamen ausus est Noster, huic sententiae publice contradicere, antequam propriis tentaminibus fuisset edoctus, eam veritati haud contentaneam esse. Atqui de suis, quos ea de re instituit, laboribus hic rationem reddit, seque iis, ait, fuisse conuictum, praecipuam diuersitatis harum cupri minerarum coloris caussam a phlogisti maiori, vel minori portione, quae cum calcinato cupro coniuncta mansit, repetendam esse; etenim aliam, expertus est, cupri metallici copiam nitri acidum, in quo eam soluisset, coeruleum reddidisse, quod dissolutio admodum lente processisset, aliam eius ipsius metalli portionem eidem menstruo, quod vero ad hoc experimentum magis, atque ad illud, esset concentratum, viridem colorem fuisse largitam, quod acidum vehementius in metallum egisset, atque adeo maiori phlogisti quantitati inde sub vaporum forma abeundae data fuisset occasio, cet.

In sexto Commentario agit MARETVS de aëre, qui ex calcis cremore et minio expelli potest, ac simul descriptionem addit eorum experimentorum, quibus de vera natura subtilis fluidi his corporibus expulsi certiorem se reddere studuit. Quanquam enim multi nuper varia ratione in calcis cremorem inquisiverunt, eumque ab ignito calcareo lapide in eo differre animadverterunt, ut ille fixo aëre abundet, eaque ipsa de causa volatile alcali ex ammoniaco sale expellat quidem, nec tamen causticum reddat, hic vero aëreo illo fluido destituatur, et proinde efficiat, ut lixiuum sal ex ammoniaco sale separatum fluida natura utatur, valdeque urens sit; tamen BUCQUETO illa de aëreo acido in calcis cremore praesente opinio assumta magis, quam demonstrata, visa est, quippe qui fassus sit, se etiam ope illius cremoris causticum alcali ammoniaco sale expulisse, cet. Hoc ergo experi- p. 106.

mentum Noſter ea de cauſa repetiit, ut argumenta, quae eo nituntur, non poſſet non diluere. Animadvertit autem, aërem, qui in regenerata calce ineſt, omnino fixum eſſe, atque volatile alcali hac calce ex ammoniacali ſale eductum cum acidis valde effervescere, aërisque pleniſſimum reperiri, hinc BVCQUETI oppoſitionem locum habere nullum. Ceterum ſeparavit etiam MARETUS acidi vitriolici et nitroſi ope gas ex illa calce, et aquam eo ſaturam cunctis illis virtutibus gaudere vidit, quibus aqua fixo aëre impraegnata
p. 113. inſignis eſt. — Ex minio, quod per ſe vehementi ignı expoſuerat Noſter, (nam ope acidi vitriolici aut nitroſi perparum tantum aëris inde ſeparare potuit,) dephlogiſticatum quidem gas, illud tamen haud penitus purum, ſed cum ſexta circiter parte acidi aërei mixtum obtinuit, et ipſam plumbi calcem hac operatione in flauum pulverem (*Maſſicot*) mutavit. An forte haec calx, ſi vehementiorem ignem Auctor adhibuiſſet, in verum metallum abitura fuiſſet? videtur; nam parietibus vaſis, in quo illa in igne detenta fuerat, quasdam ſplendentes veluti particulas accretas fuiſſe, obſervavit, quas de incipiente reductione teſtari ſibi perſuaſum habet. (Nos ex huiusmodi particulis potius concluderemus, plumbi calcem vitri quicquam ſoluiſſe, et cum eo in maſſam ſplendentem et veluti vitriformem abiiſſe.)

p. 116. Commentarius ſeptimus agit *de obſtaculis* (éclu-
p. 159. ſes) *canalium vehendi navibus*, auctore GAUTHEY

Commentarius octavus complectitur Obſervationes mineralogicas et chemicas ſuper Gypſo ſpatoſo WALL. ſive Marmore metallico CRONST. Et primum quidem refert Auctor (DE MORVEAU) nonnulla de natalibus huius foſſilis corporis locis, narratque, ſe illud Chaſſeleyi in Lugdunenſi territorio et Thotae in Burgundia mox quarzo griſeo, eique puro vel tantum inhaerens, vel intimius immixtum, mox etiam quarzo conchyliorum variorum pleno innatum repeririſſe; deinde repetit methodum, qua BERGMANNVS

in

in ſeparanda ab hoc ſpato terra ponderoſa (*Barote* vel *terre barotique*) uſus eſt, et tandem de experimentis quibusdam, quae ipſe huius terrae conficiendae cauſa inſtituit, reddit rationem. Etſi enim BERGMANNI modum ad ponderoſam terram producendam eſſe admodum aptum non diffitetur, ſibi tamen perſuaſum habet, eam longe faciliori ratione parari poſſe, Nimirum calcinatione unciae unius et ſemis marmoris metallici cum duabus drachmis pulveris carbonum mixti, et ſolutione huius calcinatae maſſae in aqua lixivium obtinuit, ex quo ope aceti aut acidi muriatici Salia media terreſtria, eaque diſquirendis variis liquoribus aptiſſima, confici poſſe, expertus eſt.

De vaſis omphalo-meſentericis in nono tractatu p. 175.
loquitur CHAUSSIER, ſuaque cum in quadrupedibus nonnullis, tum in homine ſuper hac re facta obſervata recenſet, et cum aliorum anatomicorum relationibus comparat. Sunt, ait, in umbilicali funiculo, praeter magnos illos canales, quibus funis ipſe conſtat, duo alia ſanguinea vaſcula, quae in nonnullis animalibus, ſimulatque eorundem abdomen apertum eſt, facile in conſpectum prodeunt, et ab umbilico ad meſenterium proficiſci videntur, quare ipſis vaſorum omphalo-meſaraicorum nomen a diſſectoribus datum eſt. Sequuntur ea, pergit, omnem funiculi longitudinem, ramisque ſuis peculiari membranae, ab allantoide, chorio et amnio prorſus diſtinctae, inſeruntur. Atqui haec illa membrana eſt, cuius iam olim NEEDHAMUS meminit, quaeque in concava placentae ſuperficie, prope umbilicalium vaſorum diviſionem et ſupra allantoiden tunicam ſitum habet, et ope cellularis textus partibus vicinis adhaeret. Primis poſt conceptionem hebdomadibus eam capſulam ſeroſi liquidi plenam formare, hoc ipſum autem fluidum copia ſenſim diminui et tandem prorſus diſparere, neque tamen membranam non conſpicuam eſſe Noſter aſſeverat, quae multis ſanguineis vaſis abundet,

ac,

ac, ut NEEDHAMI verbis utamur, *ſucco omni abſumto, membranulam choroiden in cerebro adeo accurate imitetur, ut exempla incautis imponere poſſit*, cet. Iam, quod ad horum vaſorum, quorum rami in hac membrana, *capſulari* aut *vaſculoſa* a CHAUSSIERO dicta, naturam et directionem attinet, alterum eorum arterioſum, alterum venoſum eſt, illudque ex meſaraica ſuperiori ortum habet, hoc ex ipſa membrana permultis minoribus ramis enaſcitur, qui deinde in unum veluti truncum mutati, arterioſum vas primum ſequuntur, prope umbilicum autem illud relinquunt, et ſub inteſtinis tenuibus progrediuntur, tandemque venae portarum ventrali inſeruntur. Atque hoc iter haec vaſcula in animalibus, quae Auctor diſſecuit, feciſſe, in humano fetu, in quo non ita facile ea demonſtrari poſſunt, arteriam quidem ſuperioris meſaraicae arteriae etiam ſubolem fuiſſe, venam autem magnae meſaraicae venae ſe inſinuaſſe animadvertit. De uſu utriusque vaſculi pariter, ac de tempore, quo capſula illa in veram membranam mutetur, cet. nihil certi definire audet.

p. 199. Decimus tractatus, qui DURANDIUM Auctorem habet, de calculis biliariis, et de aetheris vitriolici cum ſpiritu terebinthinae mixti virtutibus medicis in colica hepatica ab huiusmodi lapidoſis concretionibus producta inſcriptus eſt, continetque cum variorum medicorum, tum ipſius Auctoris, de ſede, et ſignis huius colici morbi, et de varia ipſi medendi methodo cogitata, quae alia occaſione vel refutaturum, vel confirmaturum ſe propriis tentaminibus eſſe, pollicitus eſt. Quae autem in hac prima commentarii parte diſputavit, eo potiſſimum redeunt, ut demonſtret, calculos biliarios peculiarem colici morbi ſpeciem, quam male SYDENHAMUS cum hyſterica, alii cum inflammatoria et nephritica colica confuderunt, producere, eamque, utut haud raro admodum pertinacem et cum gravibus quibusdam ſymptomatibus con-

iun-

iunctam, idoneae medendi rationi non reſiſtere, ſed omnino ſanabilem eſſe. Quodſi nimirum variis ſignis, velut doloribus dextri hypochondrii et umbilicalis regionis, inſultibus colicis periodicis, flavo oculorum colore, itemque ictero vel partiali, vel univerſali, eoque mox ſponte evaneſcente, mox regrediente, porro urina crocea, aut lateritia, intumeſcentia felleae veſiculae, deiectionibus albae materiei poſt colicos inſultus, et potiſſimum calculis biliariis excrementis immixtis, medicus fuerit certus redditus, hepatica colica aliquem laborare, longum humectantium atque diluentium, item aperientium medicamentorum uſum ipſi primum commendandum, et deinde cum his aetherem vitrioli cum terebinthinae ſpiritu mixtum coniungendum eſſe. Noſter ſuadet, quo quippe medicamento, cuius quotidie drachma una cum cyatho ſeri lactis, ſyrupi violarum, cet. pro doſi matutino tempore ſumi debet, diſſolvi calculos, ſua ſe experientia edoctum eſſe fatetur. Ceterum ſi forte haec medicina nimis calefacit, aut dolores in hepatis regione excitat, venae ſectione et balneis his ſymptomatibus obviam eundum, ipſum autem illud medicamentum diu continuandum eſt; nam quandoque malum omnino non tollitur, niſi ad minimum libra integra mixturae illius ſenſim aſſumta fuerit. Finem curationis Noſter lenibus purgantibus facit, quae tamen haud eſſe adhibenda monet, priusquam ſymptomata admodum mitigata ſint.

In ultimo huius voluminis commentario tradit MARETUS hiſtoriam meteorologicam anni MDCCLXXXII. p. 235.

XXI.

IO. ZACH. PLATTNERI, D. et Prof. Med. Lipſ. Inſtitutiones Chirurgiae rationalis, tum medicae, tum manualis, in vſus diſcentium.

Editio

Editio nouiſſima, recenſuit, notasque adjecit CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE, Med. Doct. et Profeſſ. Lipſienſis. Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſch. 1783.

Celeberrimi quondam Viri, qui et ſermonis elegantia delectat, et doctrinae praeſtantia adeo excellit, vt Chirurgorum Germanorum tum temporis primus noſtraeque Academiae inſigne decus habendus ſit, Inſtitutiones Chirurgiae tertia iam vice editae ſunt a Profeſſore Academiae noſtrae, elegantiſſima Celſi editione, multisque aliis modis de re medica optime merito. Addit nunc doctrinae copia, qua nouam hanc editionem Plattnerianarum inſtitutionum non perluſtrauit ſolum, ſed talibus etiam illuſtrauit animaduerſionibus, quae de Ipſius egregia eruditione praeclare teſtantur, nouum ſuis in artem medicam meritis. Quod formam attinet, inde etiam huic editioni, effigie b. PLATTNERI ornatae, aliquod paratum eſt commodum, quod moles libri minoribus literis quaſi imminuta, et tum ipſe ad normam verſionis eius Germanicae, a BOEHMERO curatae, in partes duas diuiſus, tum illi appendix medicamentorum, quae tamen, vti et index, non mutata eſt, adjecta fuerit. Animaduerſiones Cel. Editoris, crucis ſigno diſtinctae, pleraeque ad explicandum vel et emendandum nouiſſimisque inuentis praecipuis illuſtrandum Auctorem faciunt.

Maxime autem iis illuſtrata ſunt ſequentia capita: de gangraena et ſphacelo; de aduſtis; de amputatione membrorum; de ſcirrho et cancro; de aneuriſmate; de neruorum diſtenſione; de hydrophobia; de oculorum morbis; de labio leporino; de bronchotomia; de vexatis; de paracenteſi; de polypo narium; de herniis; ſarcocele; hydrocele, cui pneumatoceles hiſtoria adiuncta eſt; vna cum deſcriptione hydroceles funiculi ſpermatici: de vlceribus; de fiſtula

fiſtula lacrymali, et ani; de dentium morbis; de luxatis et fractis; de ſuffuſione; de viarum vrinariarum incommodis, catheteriſmo, paracenteſi veſicae, et calculoſorum curationibus.

Praefertur ſpongia non cerata, arctius fortiusque ſiue torculari, ſiue craſſioribus cannabinis filis vehementius conſtrictis compreſſa, quum promtius ſorbeat et intumeſcat, minus vero premat et irritet. p. 12.

Defenduntur ii, qui de ſanguinis extra vaſa arterioſa in telam celluloſam effuſione dubitant; oculorum enim, aliarumque partium vere inflammatarum vaſa ſingula diſereta turgent. p. 17.

In inflammatione interiorum partium quatuor inflammationis notae non ſemper manifeſtae ſunt; et febris inflammationem eoncomitans ſaepe tantum eſt catarrhalis, eryſipelatodes, vel putrida. p. 22.

Pus ſaepius in abſceſſibus et ulceribus diutius pus plorantibus gignitur, licet nulla inflammatoriae cruſtae nota in ſanguine adſit, idque in levioribus inflammationibus non raro locum habet, quod contra HAENIUM contenditur. p. 24.

Gangraenae avertendae gratia ſanguis etiam, tertio die jam elapſo, mittendus eſt, ſi reſolutionis ſpes evanuerit. p. 31.

Ad magnos abſceſſus aperiendos, ſi circa eos multus tumor, non, ſi ii altius conditi ſint, ſetacea proſunt. p. 42.

Loco ferri candentis, butyrique antimonii alia aptiorque carbunculorum curatio demonſtratur. p. 47.

Parotidum tumores vix non ſemper a glandula illa conglobata, quae parotidi inſidet, initium capiunt. p. 50.

Cereus, materia virulenta infectus, laudatur ad gonorrhoeam revocandam; p. 53.

ſanguiſugae plures ad ſcrotum applicatae in incipiente teſticulorum inflammatione commendantur. p. 54.

Quartum paronychiae genus a Cel. Editore emplaſtro malactico feliciter diſcuſſum eſt. p. 60.

Additur puſtuloſa vel bulloſa eryſipelatis ſpecies. p. 64.

Cuius morbi cauſa frequens eſt cacochymia bilioſa. p. 65.

Metaſtaſis critica in febribus interdum eſt generis gangraenoſi. p. 77.

In omni gangraena, ea quoque, quae a vehementiori p. 79.

tiori inflammatione ortum cepit, nocent, evacuantia.
p. 86. Cauſa gangraenae increſcentis ſaepe eſt impurus noſo-
p. 87. dochiorum aër. Bene de utilitate et damno corticis
p. 95. Peruviani in gangraena. Dubium adhuc, quid agen-
p. 99. dum, ſi in media artus parte ſteterit gangraena. Li-
quamen myrrhae, ulceris nutriendi ergo ſolum adhi-
bitum, nimis ſiccat; praeſtant igitur unguenta bal-
ſamica.
p. 100. Aduſti digiti etiam liberali uſu aquae vegetomi-
p. 108. neralis curvi redduntur. Quum linteum, in vulnus
demiſſum, ferram, dum ea ducitur, remorari poſſit,
eius loco adhibeatur corii genus, quod Pergamenum
p. 109. audit. Eſt dubium adhuc, num vaſorum compreſ-
ſorum vel conſtrictorum parietes intus concreſcant.
p. 116. In ſcirrho recte definiendo durum a tumido pro-
p. 117. be diſcernendum eſt. Sententia veterum de melan-
cholico ſucco, ut cauſa ſcirrhi, non adeo inepta eſt.
p. 128. Sed in hoc morbo utilitas electricitatis dubia; verru-
p. 131. carumque equinarum laus ſuperſtitionem olet; pro-
deſſe tamen poteſt aqua calcis vivae, lacte commixta,
niſi ventriculum laedat. Aliquem novit Cel. Auctor,
qui, quotiescunque de alique re ſtuperet, labrum in-
ferius non dentibus mordendo, ſed vehementius tan-
tum comprimendo, iſtius canerum letalem ſine prae-
p. 133. greſſis verrucis ſibi contraxerat. Prohibentur vali-
diora ſaturnina, quorum uſu aliquis tumor ſcirrhoſus
p. 136. immenſe auctus eſt. In Medici, cuius oculus ſaepe
maculis rubentibus plerumque verſus externum can-
thum mutatus fuerat, capite, et quidem hemiſphae-
rio illius lateris, magna vomica purulenta reperta eſt.
p. 155. Ill. PLATTNERVS in ophthalmia mercurialia nimis
p. 167. parum laudauit. Pterygium naſcitur a coniunctiuae
ab inferioribus ſolutione, cuius vaſcula nullum ſangui-
nem receperunt, non autem ab acribus humoribus
in partes ſolidas coëuntibus; niſi ex praegreſſo mu-
tatoque panniculo enatum: panniculus vero ex arroſis,
p. 177. aut ſanguine diſtentis vaſculis. Errant, qui nouae

ſub-

ſubſtantiae generationem in locum vulnere deperditae negant. Sutura cruenta, interdum vtique neceſſaria, in vulnere longo ter ſuendo raro bene procedit, nec diu adeo relinquenda eſt. Totum ſyſtema arteriorum morboſum eſt, ſi aneuryſmata in pluribus locis ſine euidenti cauſa oriantur. Verum aneuryſma, in medio humeri ortum, ſimplici illo apparatu, qui ad fonticulos in humero deligandos adhibetur, ſplenioque ſat craſſo feliciter curatum et retentum fuit. Methodus noua LE COMTE arteriarum vulneribus medendi fruſtranea creditur. Opium in dolore ad maiorem inflammationem auertendam neceſſarium neruorum vires minime frangit! impedit hoc enim tenſio nervorum a dolore facta. Machinae ad maxillam vi deprimendam propoſitae vanae ſunt. PLATNERVS opinioni de noxa illa, quae aëri a glandibus maioribus perniciſſimo motu prouolutis compreſſo, et partes corporis humani male afficienti, licet glandes ipſae partes non attingant, attribuitur, nullam fidem dediſſe dicitur.

p. 189.
p. 211.
p. 215.
p. 223.
p. 225.
p. 229.
p. 233.

Virus a rabidi animalis morſu natum non in ſola ſaliua haeret; ea enim eſt humor ex ſanguine ſecretus. Veroſimile, hydrophobiae naturam ſpaſmodici generis eſſe.

p. 250.
p. 252.

Pericranium cum oſſe coaleſcere poteſt, niſi aut pericranium, aut os, iam alienatum fuerit, etiam tum, cum ſuprema oſſis lamella tantum alienata, quae radendo auferenda eſt. Cuius ſententiae Ill. Auctor etiam fuiſſe videtur, licet maius in hac re periculum obſtare putet, quam Cel. Editor. Reſonitus ſeu contraſſurae in oſſibus docent, ex obſeruationibus, quae in vulneribus capitis partes alterius, vulnerato oppoſiti lateris laeſas tradunt, nil certi de chiaſmo fibrarum medullarium colligi poſſe. Methodus Auctoris modiolum applicandi optima judicatur. Addita eſt ratio, guttur ad illapſa extrahenda aperiendi. Exſuctio aëris humorisue, in pectoris vulneribus com-

p. 265.
p. 273.
p. 288.
p. 319.
p. 327.

mendata, ſugenti vere noxia eſt; et quum humor contagioſus etiam halitu, nec non ipſa vulneris contrectatio nocere queat, et diaphragma in aliquo tubuli loco efformatum noxam hanc auertere nequeat; melius eſt, quod aut vulneratus vulneri incumbat, aut humor inciſo thorace extrahatur. *Thedenii* modus, arterias ſub coſtis ad anteriora currentes vulneratas curandi, contra *Steidele*, arteriae, quae fonti ſuo vicina ſit, et cum coſta et pleura arctius cohaereat, libertatem ſeſe contrahendi denegantem, ita defenditur, vt angulus, ſub quo iſtae arteriae ex trunco ſuo exeunt, impetum ſanguinis a vicinitate profectum multum infringere, arteriarum diſſectio et a coſta reſolutio, verſusque ſpinam replicatio ipſarum contractionem adiuuare; communia igitur haemorrhagiarum auxilia et per turundam facienda mediocris compreſſio poſt haec ſanguinis profluuia ſiſtendo ſufficere poſſe dicantur.

p. 331.

Part. II.

p. 374. Additur, hydarthron, ſcirrhoſa, eryſipelatodes,
p. 379. ſpeciebus oedematis. Pediluuia ex globulorum mar-
p. 385. tis ſolutione parata praeſtant lithargyrio. Adiungi-
p. 398. tur hydrophthalmiae nothae hiſtoria. Ganglia minora nec nimis dura, nec nimis vetuſta, emplaſtro mercuriali et ſpiritu ſaponato optime diſcutiuntur.
p. 400. Polypus narium non ſemper a pluribus pediculis dependet, ſed increſcens pluribus locis magis aggluti-
p. 402. natur. Externa remedia, quibus aliquid acidi mineralis adhaeret, valde diluta polyporum altius occultorum vaſa contrahendo ipſorum radices exſuccas red-
p. 411. dere et ita ſeparare poſſunt. PAVLVS AEGINETA et AETIVS jam rupturam peritonaei in herniis nega-
p. 420. runt. *Le Dran* et *Palfini* notio de herniis vmbilicalibus, quae optime duabus pilis retinentur, a vero
p. 422. diſtat. Propter magnam herniarum diuerſitatem,
p. 428. ſcalpellum caute et in herniis inflammatione caren-
p. 429. tibus non ſtatim adhibendum, maius etiam periculum

in

in herniarum non incarceratarum, quam in incarceratarum operatione. *Elſii* methodus, hydrocelen per cauſtica curandi, in viro quodam a Cel. Editore feliciter adhibita eſt. p. 449.
Poſt vlcuſcula venerea male tractata in ſano et ſeducto iuuene praeputium, plane immobile, cum glande arctiſſime coaluit, ſubſtantiaeque ſimul iacturam cauae cicatrices euidentiſſime indicarunt. p. 456.
Flaccida praeputii pars ſectione orbiculari ita caute auferenda eſt, vt culter nullo modo frenulum laedat. p. 457.
Tincturae cantharidum in verrucis vſus, vanus eſt. p. 462.
Sola eorum, omnisque, quod circa eas eſt, duri reſectio iuuat. p. 464.
In clauis pedum adeps ſuillus recens praeſtat emplaſtris. p. 487.
PLATTNERVS, qui vtique herpetis curationem difficilem judicauit, contra *Schmuckerum* defenditur. p. 488.
Nocet in porrigine capillorum euulſio, vſusque pulueris bufonum toſtorum dubius eſt. p. 499.
Fiſtula eſt vlcus anguſtum, et paulo longius procurrens, non autem calloſum, niſi ſola vetuſtate. Callus ex ſolidis partibus a varia cauſa mutatis exiſtit, fibroſa enim ejus eſt natura. p. 522.
Saccus lacrymalis, cuius tunicae multum debilitatae, non ad PLATNERI noxium modum, ſed ſolis dgitis crebro et caute comprimendus eſt. p. 534.
POTTII methodus fiſtulam ani incidendi Plattneriana praeſtat. p. 537.
Inciſio cutis cum panniculo adipoſo multum difficultatis habet, et PLATNERI, DE LA FAYE, PETITIque rationes, ſi fiſtula altius in inteſtinum pateat, neutiquam ſufficiunt. p. 542.
PETITI et Gallorum conſilia ſcalpello venas haemorrhoidales incidendi tum approbantur, cum in tuberculis majoribus ſanguis ſpiſſus et craſſus haeret.
Condylomata, nates, perinaeum, poſterioremque ſcroti partem occupantia ex lue gallica nondum confirmata orta Cel. Editor experientia cognouit.
Nocent in carie oſſium mercurialia, ſi largius exhibita, vt et acria decocta. p. 564.
Methodus *Belloſtii* denudato oſſi medendi non ſemper neceſſaria eſt. p. 565.
Quum obſeruationes de magnis partibus oſſium corruptorum, vel integris p. 568.

gris offibus regeneratis, rariores ſint, quaeritur a Cel. Editore, qui ideo ad TROJAE in brutis facta experimenta prouocat, num haec regeneratio forte efficaci et acriori periofteum externum grauius laedente curatione
p. 577. impediatur. In dentium febre nimioque calore proſunt hirudines ad maxillae inferioris angulum admo-
p. 578. tae. Cauſa proxima tartari dentium non cruditates et reliquiae alimentorum, ſed materia oſſea dentium lu-
p. 580. xurians et per ſuperficiem arroſam ſudans. Ad euel-
p. 605. lendos dentes ſola forceps apta eſt. Secundum *Vogelium* Lubecenſem mandibulae in poſteriorem partem luxatio affirmatur.

In addendis contra POTTIVM, qui nouiter gibberoſitatem et crurum imbecillitatem vel paralyſin a communi cauſa, ſcilicet vitio humorum per metaſtaſin ad ſpinam delato, deduxit, contendit Cel. Editor, crurum imbecillitatem, quippe quae in omnibus gibberoſis parum bene nutrita ſint, non ſemper ab eadem cauſa effici poſſe, quae gibberoſitatem, ſaepe et ab
p. 656. externa cauſa ortam, pariat. Cauendum, ne emollitum os pro fracto habeatur; et ipſe Cel. Editor expertus eſt, puellae quinquennis, tabe tandem abſumtae, femorum propter acidomucoſam humorum indolem emollitorum dextrum a duobus Chirurgis diu vti fra-
p. 664. ctum tractatum eſſe. Rationes, quas recentiores ad faſciarum longarum noxam in fracturis oſſium demonſtrandam afferunt, valent ad omnes faſcias contemnendas. In ſuffuſione curanda ille culter optimus,
p. 708. cuius dorſum obtuſum lineam rectam refert, mucro ſatis cuſpidatus, et per lineam geometricam anceps et minime cedens, latitudo inde a mucrone paulatim maior, et vbi maxima, corneae diametrum dimidiam
p. 711. aequat. Mydriaſis nec ab Ill. PLATNERO proſym-
p. 722. ptomate amauroſeos pathognomico habita eſt. Ce-
p. 741. reus, ſaepe ſufficiens, catheteri praeferri poteſt. Duriores calculi a nulla medicina intus ſumta mutantur.
p. 784. LE CAT ſupellectilem magis, quam enchireſin, mutauit.

tuit. Günziana methodus cutim incidendi a Celſiana differt, et *Bromfield* hanc imitari volens, quum vocem coxarum per tuberoſitatem iſchii, non per acetabulorum regionem explicuerit, errauit. Ductor canaliculatus *Hawkinſii* praeſtat illo *Bromfieldii*. Foemina quaedam filio ſuo quinquenni calculum prope exitum haerentem ſugendo extraxit. Inter ſcriptores artis obſtetriciae, quorum Catalogus adiunctus eſt, *Deleurye*, et *Baudeloequii* libri, quorum priorem *Flemming*, alterum *Meckelius* verterunt, liberque *Steidelii* ceteris omnibus praeferuntur. p. 786. p. 789. p. 797. p. 807.

XXI.

Vroedkundige Oeffenſchool, vervattende in een klein beſtek meerderendeels alles, 't geen tot deze Konſt eenige betrekking heeft, de Geneeskunde uitgezonderd, uitgegeeuen bij wijze van Leſſen, door den Profeſſor IACOBS. Met kopere Plaeten, Te Gend, 1784. 4. maj. 432 pag.

i. e.

Schola artis obſtetriciae breuiter complectens omnia fere, quae ad hanc referenda aliquo modo ſunt artem, arte therapeutica tantum excepta, in lectiones diuiſa et publici iuris facta a Profeſſore IACOBS, adiectis ſimul iconibus aeri inciſis.

Res ipſa loquitur, artem obſtetriciam noſtris temporibus prae reliquis doctrinis maxima cepiſſe incrementa, quum doctiſſimorum virorum ingenia excitata fuerint ad eam excolendam non ſolum et augendam, ſed etiam ornandam ac perficiendam. Quorum in numero et Cl. V. IOHANNEM BERNARDVM IACOBS eſſe intelleximus, qui non ſolum olim hanc artem doctiſſimis libris expoſuit atque illuſtrauit;

RAVLINI *) ſiquidem *ſuccinctas inſtitutiones artis obſtetriciae* belgico idiomate prodire iuſſit, et**) *manuale artis obſtetriciae* ſiue *catechiſmum* edidit, quibus doctorum gratiam promeruit virorum: ſed etiam hoc egregio libro eorum vſibus inſeruire ſtuduit, qui plura ſcire cupiunt. Ipſius libri paulo accuratior perluſtratio nos vtique de Cl^i Auctoris doctrina in hac arte prorſus ſingulari certiores reddere poterit. Tot
p. 1. autem operi praemittit *introductionem*, qua docet, *artem obſtetriciam ad principes doctrinas medicas eſſe referendam*, et ſingulare prorſus ſtudium atque attentionem prae arte chirurgica requirere, eam potiſſimum ob cauſam, quia circa vitam duorum verſetur homi-
p. 3. num. Deinde *ipſam artem deſcribit*, atque docet, quali notitia imbuendus ſit, qui illi ſuum conſecrare ſtu-
p. 13. dium, eamque cum fructu cupiat exercere. Tandem *catalogum librorum de arte obſtetricia* adiecit, continens ſcripta aut belgico exarata idiomate, aut in illud translata, qui, quum multa ibi commemorata atque laudata, neque in HALLERI, neque in VIGILII DE VIGILIIS a CREVZENACH *Bibliotheca Chirurgica* inuenerimus, ſupplementi loco eſſe poterit.

Pars I. Primam vero quod concernit partem, illa *cap.* 1.
p. 23. *de partibus mulierum genitalibus* agit. Duplici diuiſione harum partium in actiuas et paſſiuas, et in molles et duras praemiſſa, peculiarem aggreditur deſcriptionem,
p. 24. incipiendo a *pelui*, cuius non ſolum ſtructuram, ſitum, ligamenta, ſed etiam vſum atque dimenſionem differentiamque a virili exacte et paulo verboſius explicuit. Accurata vero conuenientia, quae inter peluim
p. 45. ac caput infantis intercedit, Auctorem duxit *ad capitis infantis conſiderationem*, quod, quum dimetiendo diuerſae latitudinis eſſe deprehendatur, propter hanc diffe-

*) Prodiit anno 1771. ſub titulo: *Kortbondig Onderwijs aengaende de Vroedkunde.*

**) Anno 1777. publici factus eſt juris ſub titulo; *Vroedvrouwen Handboeksken ofte Catechiſmus.*

differentiam aptum eſt, vt per peluim commodius queat tranſire. Hoc explicato, *molles partes genitalium* explicat, quas more recepto in externas aeque ac internas diuidit, easque ſeorſim eleganter et diſtincte deſcribit. Sequitur ipſius *menſtrui ſanguinis* conſideratio, quae omnia paucis complectitur ad menſtruum ſanguinem ſpectantia. Hanc vero excipit *conceptio*, *cum ſignis*, ex quibus illa cognoſcitur, quae quidem penes primiparas ſunt incerta, penes alias autem certiora, euidentioraque, differunt tamen pro varia corporum conſtitutione. Porro agit Noſter *de grauiditate* ſic, vt eius ſigna probabilia aeque ac vera indicet, et de ſucceſſiuis eius incrementis, et tempore geſtationis legitimo verba faciat. Simul vero etiam oppoſitum grauiditatis, *ſterilitatem*, ex ſuis cauſis explicat, quae ex praeternaturali ſtructura partium generationi inſeruientium, aeque ac ex morbis has partes infeſtantibus colligitur. Propius accedit ad *embryonem eiusque annexas in vtero partes*, ſimulque explicat, qualis ſitus infantis naturalis ſcilicet eſſe ſoleat in vtero. Hoc caput tandem *deſcriptione vteri grauidi* abſoluitur.

p. 47. p. 58. p. 60. p. 65. p. 69. p. 70. p. 79.

Cap. 2 partus hiſtoriam in vniuerſum proponit, atque ſigna ordine recenſet, ex quibus intelligitur, partum proxime inſtare, quae quidem curatius ſunt exploranda: tranſitus denique fit ad *mechanismum partus* explicandum, qui quidem duplici modo perficitur, a variis videlicet partibus, quarum aliae agendo, aliae vero patiendo ſuo rite defunguntur officio.

p. 87. p. 90.

Cap. 3. res cum partu naturali coniunctas peculiari ac proprio deſcribit modo, naturalis quippe partus notione rite determinata atque expoſita, res illae ſeorſim cenſurae curatiori ſubiiciuntur. Vnde de *tactu* ſiue *exploratione*, praeceptiſque ad hanc ſpectantibus primo loco diſſeritur; quibus abſolutis, *inſtantis partus ſigna* recenſentur, vna cum *doloribus ad partum*, quorum genera diuerſa breuiter quidem, attamen diſtincte declarantur. Oratio porro ad *aquas humectan-*

p. 94. p. 95. p. 99. p. 100. p. 104.

dis partibus genitalibus inſeruientes dirigitur, vbi obiter praeiudicium, quaſi abſque his aquis partus naturalis abſolui queat, ſaepiuſque abſolutus ſit, refelli-
p. 107. tur. Pergit ad *parturientis foeminae ſitum* deſcribendum, qui in partu naturali non rigoroſius eſt vrgendus, ſufficit ſiquidem talis collocatio, qua ipſe foetus non laeditur, qualis vero optimus in lecto ſitus eſſe debeat
p. 109. addit. Maiorem tamen Ipſi attentionem meretur *praeſidiorum recenſio, quibus obſtetrix ac medicus obſtetricius in partu naturali praeſto eſſe ac ſuccurrere* debet.
p. 111. Igitur de *funiculi vmbilicalis deligatione*, *de ſecundina-*
p. 113. *rum extractione*, et *de ſoluenda placenta* in vtero fir-
p. 114. miter adhaerente et relicta neceſſariae encheireſes commendantur.

p. 121. *Cap. 4. curam circa puerperam* inculcat, quomodo ſcilicet verſandum ſit, ſi partes quaedam in partu laeſae aut contuſae ſunt, quomodo in lecto ſit collocanda, quibus ſtragulis tegenda, et quae obſeruanda ſint, ſi lac infanti praebeat, aut illum nutrici committat, etc.

p. 128. *Cap. 5. curam infantis neogeniti* graphice delineat. Hic de lotionibus infantis, de faſciarum applicatione, de capitis integumentis, de cunarum collocatione et motu agit, et inprimis recte nimium motum et horizontalem reprehendit, quia inde affectus vertiginoſi,
p. 133. ſtupiditas, aliaque mala oriuntur. Tangitur hic etiam *cura infantis a natiuitate vſque ad ablactationem* *) pau-
p. 135. cis, et *qualis* potiſſimum *nutrix* **) ſit eligenda, ne ſanitas et mores infantum corripiantur ac peſſundentur.
p. 140. Obſeruationes quaedam egregiae etiam hic de educandis infantibus leguntur, reprehenditur conſuetudo mammas praebendi paulo frequentius, pultis vſus, etc.

*) Plura ſcire cupientes ad HALLEXSERDI peculiarem libellum de hac materia ſaepius recuſum ablegamus.

**) Apud veteres medicos multa de hac electione inueniuntur, et noſtris temporibus hoc caput tractauit ROSENSTEIN *de morbis infantum.*

ete. et tandem quomodo remotio a lactis ſuctione fieri debeat. *Cap. 6. de abortibus* praecipit, quorum pericula indicantur ſimul cum circumſpectione a medico obſtetricio exigenda. *Cap. 7.* de *partubus praematuris*, et *cap. 8.* de *partubus ſerotinis*, et *cap. 9.* de *partu mortuo* agit. Signa, ex quibus mors infantis colligitur, duplicis ſunt generis; primum enim aut grauiditatis tempore mortuus eſt, aut demum ſub partus nixibus laboribusque; propria illa ſigna diſtincte hic indicantur. *Cap. 10.* de *gemellorum partu* ſic tractat, vt ſigna quidem dubia ſuppeditet, quae vulgo vendi-tantur. *Cap. 11. de ſuperfoetatione*, et *cap. 12.* de *graviditate falſa*, qua mola prodiit, atque *cap. 13. Mulieris ſtatum poſt partum* explicat.

p. 145.
p. 146.
p. 151.
p. 153.
p. 154.
p. 160.
p. 165.
p. 166.
p. 169.

Secunda huius libri pars *partus laborioſos et praeternaturales* ſiſtit, et quatuor ſigillatim ſectionibus abſoluitur, quarum quaelibet in capita diuiſa eſt. *Prima* vero *ſectio laborioſos portus ob vitioſam parturientis conformationem* continet, quae propriis capitibus vberius deſcribitur. Itaque *capite primo* commemorantur *vitia in labiis vuluae* occurrentia, quorſum pertinent tumores aquoſi, tumores ſanguinei, inflammatio tumorum ichoroſorum, rigiditas ſiue immobilitas partium genitalium. *Cap. 2. de vitiis vaginae* agit, vbi commemorantur anguſtia praeternaturalis vaginae, concretio vaginae, praeſentia hymenis, aut alius membranae praeternaturalis, tumor vaginae, hernia inguinalis, inflammatio vaginae, vlcera maligna, nimia vaginae ſiccitas, ſpaſtica ipſius contractio, eius apertura in inteſtinum rectum hians, aut verſus vmbilicum directa. *Cap. 3.* perſequitur *vitia orificii vteri*, vbi concretio, induratio, intumeſcentia, inflammatio, deſcenſio et ſpaſtica contractio orificii vterini deſcribuntur. *Cap. 4. vitia vteri* recenſet, ad quae referuntur, ſitus vteri obliquus, hernia vterina, inflammatio vteri, gangraena, atonia, fiſſura, et haemor-

Pars II.
p. 175.
p. 177.
p. 180.
p. 188.
p. 194.

p. 223. rhágia vteri. *Cap. 5. de laborioſo partu* deficientibus doloribus ad partum differitur. Duplici hoc vitium prodit modo, videlicet ſi veri dolores ceſſauerunt,
p. 227. deinde a ſpuriis doloribus. *Cap. 6. de infirmitate et*
p. 228. *imperitia parturientis. Cap. 7. de impedimentis a vicinis vteri partibus* oriundis. Eiuſmodi autem impedimenta ſunt, vrinae retentio a preſſione capitis infantis, aut calculo in collo veſicae immobilis haerente, excrementorum accumulatio, intumeſcentia vaſorum
p. 231. haemorrhoidalium, ouariorum tumores. *Cap. 8. de vitiis caſu fortuito praeternaturales partus producentibus.* Haec potiſſimum vitia ſunt, primiparae immatura iuuentus, aetas paulo prouectior, nimia pinguedo, hydrops, magna plethora, conuulſiones, claudicatio, gibboſitas, parua ſtatura, epilepſia, mors.

p. 238. *Sectio ſecunda* laborioſos et praeternaturales *partus* ſiſtit *propter vitia in ipſo infante* obuia, et partibus ad illum pertinentibus. Dilucidius ſingula huc ſpectan-
p. 239. tia peculiaribus enodantur capitibus. Igitur *cap. 1. de vitiis laborante capite infantis* agit, in quo inprimis veniunt in cenſum, nimia capitis magnitudo, mala conformatio, hydrocephalus, duo capita in vno trunco collocata, oſſificatio fontanellae et futurarum in
p. 252. caluaria. *Cap. 2. vitia in corpore infantis* occurrentia, qualia ſunt nimia humerorum latitudo, mala corporis conformatio, concretio duorum infantilium corporum, et hydropica affectio infantes inuadens, quo in vlteriore caſu paracenteſin inſtituere ſuadet, ſi ſcilicet viuus ſit infans. Huic operationi adaptari poteſt inſtrumentum triquetrum aut ſimplex forfex, ita tamen, vt ſimul eius applicatio cum vſu recepta forcipis conueniat applicatione, ita ſcilicet, vt inſtrumentum directionem manus ex aſſe ſequatur, et omnis vteri adiacentiumque partium vitetur laeſio.

p. 258. *Sectio tertia* complectitur *partus laborioſos ob partium vitia*, quae tempore grauiditatis matrem et foetum vniunt. Singulis capitibus ſigillatim haec expendun-

tur,

tur, et *primo* quidem *vitia vmbilicalis funiculi* deſcri- p. 259.
buntur, eius videlicet nimia breuitas, plexus circa
collum, brachia, corpus, crura, ſi ſola prius, aut cum
alia quadam parte infantis in conſpectum venit. *Cap.* p. 267.
2. vitioſam ſecundinarum conditionem examinat; ad tria
potiſſimum haec redit, ſi in ipſo partu praecedit at-
que orificium vteri obſtruit, ſi arcte fundo vteri ad-
haeret, ſi partu vere excluſo remanet. *Cap. 3. de mem-* p. 276.
branis foetum inuoluentibus earumque vitiis, quae du-
plicis ſunt generis, nimia videlicet craſſities et nimia
tenuitas.

Quarta denique ſectio *aquas* concernit, et duo po- p. 276.
tiſſimum vitia illius prodit, nimiam aquarum copiam
et deinde earum defectum; in vtroque caſu parturien-
tes labores ſuſtinere tenentur.

Pars tertia de *partubus praeternaturalibus in vni-* Pars III.
uerſum praecipit, et in prooemio non tantum accura- p. 281.
tam talium partuum definitionem praemittit Noſter,
ſed etiam paulo vberius de ipſo *vertendi partum arti-*
ficio diſſerit, deinde tranſgreditur ad magis propria
partuum genera. *Primus partus* foetum ſiſtit duo- p. 293.
bus pedibus prodeuntem ſic, vt ſurae verſus anteriora,
digiti vero verſus poſteriora matris dirigantur. *Se-* p. 308.
cundus docet infantem tranſitum cum poſterioribus
tentare, ita, vt dorſum verſus anteriora, abdomen ve-
ro verſus poſteriora magis ſpectet, pedibus ad abdo-
men reclinatis, funiculo vmbilicali, in quo nodus eſt,
circumdante collum et brachio corpus ambiente. *Ter-* p. 316.
tius duplicem infantis ſitum cum facie et abdomine
verſus oſla pubis matris directis. *Quartus*, infans p. 319.
cum podice ſeſe ſiſtens, dorſo verſus os ilei dextrum
matris, abdomine vero et facie verſus ſiniſtrum incli-
natis. *Quintus*, infans praemittit pedem dextrum, p. 321.
podex verſus ſiniſtrum os ilei, caput verſus dextrum,
abdomen paullo profundius, dorſum altius colloca-
tum, pes ſiniſter verſus abdomen circa nates adhae-
rens.

p. 325. rens. *Sextus*, infans cum dextro brachio primum ſe oſtendit, caput quieſcit in ſiniſtro oſſe ilei, et anus in recto, dorſum verſus anteriora et abdomen verſus, poſteriora ſpectans, quod ſuſtinet pedes ibi firmiter
p. 334. collocatos. *Septimus*, infans recto pede et ſiniſtra manu prodit, facies in ſiniſtro oſſe ilei matris, et anus in dextro eſt, abdomen profundius et dorſum altius
p. 335. collocatum eſt. *Octauus*, infans cum ſincipite orificio incumbit, occiput verſus os ilei ſiniſtrum matris directum et poſteriora verſus rectum, dorſum paulo altius et abdomen paulo profundius collocata ſunt,
p. 337. crura ad faciem ſunt poſita. *Nonus*, infans cum ceruice ſe ſiſtit, occiput dextro oſſi ilei et anus ſiniſtro
p. 339. incumbit, crura abdomini ſunt admota. *Decimus*, infans cum ceruice ſeſe praebet conſpiciendum, caluaria verſus partes laterales oſſis ſacri obtuſo in angulo collocata eſt, dorſum ſuperiorem marginem li-
p. 340. gamentorum pudendi occupat. *Decimus primus*, ceruix infantis inſtat, caluaria ſpectat verſus os pubis matris, et dorſum ſupra angulum obtuſum oſſis ſacri
p. 342. eſt. *Decimus ſecundus*, dorſum orificio incumbit, occiput ſiniſtro oſſi ilei, et anus dextro, crura abdo-
p. 346. mini. *Decimus tertius*, thorax in introitu vaginae eſt, facies incumbit recto oſſi ilei matris, abdomen
p. 349. ſiniſtro, et crura ad dorſum ſunt adducta. *Decimus quartus*, abdomen primum ſeſe oſtendit, thorax verſus os ilei dextrum matris ſpectat, poſteriora incumbunt ſiniſtro, pedes dorſo ſunt impoſiti, et funiculus
p. 354. vmbilicalis e vagina propendet. *Decimus quintus*, humerus dexter incumbit orificio, auris dextra iacet in ſiniſtro ilei oſſe matris, os femoris dextrum dextro, abdomen verſus poſteriora, dorſum verſus anteriora
p. 356. directa ſunt. *Decimus ſextus*, axilla dextra ad orificium eſt poſita, brachium ſiniſtrum incumbit oſſi ilei ſiniſtro matris, proxime adiacet caput in recta lumborum parte ipſi dextro oſſi ilei, thorax paullo altius,
p. 357. dorſum paulo depreſſius iacent. *Decimus ſeptimus*, la-

latus dextrum infantis in orificio iacet, auris dextra incumbit ſiniſtro oſſi ilei matris, et lumbi recto, dorſum verſus anteriora et abdomen verſus poſteriora ſunt collocata. *Decimus octauus*, cubitus rectus in orificio vteri ſeſe prodit, caput quieſcit in ſiniſtro et poſteriora in dextro oſſe ilei matris. *Decimus nonus*, ambo genua inſtant, dorſum verſus poſteriora et abdomen verſus anteriora ſunt directa. p. 358. p. 359.

His rite explicatis atque variis deſcriptis manipulationibus in his caſibus adhibendis, Noſter accedit ad *praeternaturales partus*, *quibus infans cum capite primum prodit*, qui quidem partus primo obtutu facili negotio abſoluendus eſſe videtur, nihilo tamen ſecius variis de cauſis opus eſt artis auxilio. *Tales caſus in ſeptem partubus* commemorat, quorum *primus* declarat, infantis caluariam primum conſpici, occipite verſus poſteriora, facie verſus anteriora oſſis ſacri verſa et propendente funiculo vmbilicali. *Secundus*, caluaria quoque inſiſtit, facies ad oſſium pubis ſynchondroſin, et occiput ad os ſacrum directum eſt. *Tertius*, aeque caluaria innititur orificio, facies ad rectum os ilei matris directum eſt, et funiculus vmbilicalis collum et brachium dextrum ambit. *Quartus*, cum facie ſe conſpiciendum praebet infans, in linea media tranſuerſali in minoris peluis introitu, dorſo verſum anteriora et abdomine verſus poſteriora ſpectante. *Quintus*, latus dextrum capitis orificium occupat, caluaria verſa ad ſiniſtrum os ilei matris et humero verſus rectum. *Sextus*, occiput inſtat, caluaria ſpectante ad rectum os ilei matris, et ceruice ad ſiniſtrum. *Septimus*, ceruix cum parte occipitis praeſto eſt, caluaria ad rectum os ilei matris verſa, pedes adducti ſunt, et cum brachiis humero adiacent, atque in orificio ſe vna ſiſtunt. p. 361. p. 365. p. 366. p. 367. p. 371. p. 375. p. 376. p. 377.

Denique de *inſtrumentis* egit Noſter, quae noſtris temporibus quam maxime adhibentur. Quae autem circa vſum eorum potiſſimum notanda ſunt, praemittuntur, p. 379.

tuntur; et docetur, artis obſtetriciae magiſtrum non tantum probe imbutum eſſe debere exacta horum inſtrumentorum notitia, animi praeſentia et fortitudine, iudicio acri et peritia artis obſtetriciae probata, et recta inſtrumentorum applicandorum ratione. Nihil iam dicere attinet de diuiſione inſtrumentorum in acuta atque obtuſa, noſtri potius officii partes exigunt, vt illa nominemus. Primum nominat *vectem* RECH-
p. 381. BERGERI, quem ROSELT et BAVDELOCQVE emendarunt, ſimulque eius vſum docet: eadem ratione de
p. 384. *forcipe* LEVRETI praecipit, porro de *perforatione ca-*
p. 388. *pitis*, *de imminuendo thorace* lectu dignas adiecit am-
p. 391. maduerſiones, nec non de *capite abrupto et in vtero*
p. 393. *relicto manipulationes* tradit, quomodo ſcilicet ſit ex-
p. 397. trahendum, ad *truncum denique a capite ſeparatum et relictum in vtero* ſe conuertit, atque rationem extra-
p. 398. hendi illum addit. Lectu quoque digna ſunt, quae *de ſectione ſynchondroſeos oſſium pubis* monet. Vix augurari ex eius verbis poſſumus, num illi faueat, aut aduerſetur. Succinctam tantum huius inuentionis antiquonouae hiſtoriam, et controuerſias narrat, addendo ſimul modum ac rationem illius perficiendae.
p. 400. Vltimo denique loco *de ſectione caeſarea* diſputat, atque docet, quibusnam in caſibus illa videatur eſſe neceſſaria, et qua ratione inſtituenda, et quomodo in vulneribus deligandis ſit verſandum.
p. 407. — 432. Ad calcem libelli *figurarum explicatio* eſt addita, quae elegantiae et pulchritudini figurarum ita reſpondet, vt maxima inde perſpicuitas eluceat. Quum autem hae explicationes absque iconibus vix intelligi ac perſpici poſſint, ab eius commemoratione prorſus abſtinemus. Hoc tantum monemus Cl. Auctorem officio ſuo egregie defunctum eſſe atque exſpectationi artis obſtetriciae magiſtrorum ex aſſe ſatisfeciſſe. Interim tamen non reticemus, nos quaedam libenter fuiſſe lecturos de inclauato aut incuneato capite, et de artis adiumentis; paucis enim tantummodo hoc caput ab ipſo tactum eſt.

XXII.

XXII.

De cholelithis obſeruationes et experimenta, nec non de iconibus pathologico-ſemeioticis conſilium ſiſtit D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS conſiliar. intim. aul. brandenburgic. medic. Prof. primar. acad. imperial. natur. curioſ. adi. acad. ſcient. monſpelienſ. rothomag. et bauaric. ſodal. Cum tabulis aeneis ad naturam pictis. Erlangae apud Wolfgangum Waltherum. CIↃIↃCCLXXXIV. 4. mai. pagg. 54.

Primae ſectionis obiectum primarium eſt hiſtoria morbi a Cl. ISENFLAMM conſcripta, in quo tamen et ipſe Cl. DELIVS conſultus fuerat. Nimirum vir non admodum robuſti corporis, ſatis tamen conſtante ſanitate gauiſus, neque diaetae negligentior, niſi quod placentarum eiuſmodique farinaceorum eſſet amans, et parcius forte iuſto biberet, ſenſim per plures annos doloribus colicis cum alui obſtructione afficiebatur, annum vigeſimum quintum agens quartanam ſatis vehementem et vltra annum protractam experiebatur, qua demum vſu largiore corticis peruuiani ſublata, per quatuor annos raro tantum leuiores recurſus affectionum priorum ſentiebat, donec vehementior inſultus cum acutiſſimo et profundo hypochondrii dextri dolore accederet, quo ſuperato, octo annos bene valebat: tum aetatis trigeſimo octauo anno absque cauſſa externa praegreſſa doloribus atrociſſimis et obſtructione grauiſſima corripiebatur, quae cum remediis conuenientiſſimis ſublata eſſet, breues induciae fiebant morbi poſt biduum multo vehementius redeuntis, adeo vt vomitu frequentiore ipſae faeces reiicerentur; clyſteribus emollientibus hisque ſubiunctis ex ſumo nicotianae iam nihil efficiebatur, donec balneo p. 4.

tepido

tepido per ſatis longam moram immergeretur aeger, adſtante abdomen alterna compreſſione agitante, quo corpus durum tactu percipiebatur in abdomine quaſi fluctuans et mox digitis explorantibus ſe ſubducens, quod, ſuccedente demum poſt iteratum clyſterum vſum alui depoſitione, indeque exorto protinus ſummo leuamine penitusque fugato morbo, (adeo quidem, vt quarto poſt, quum haec ſcriberentur, anno aeger conſtantiſſima ſanitate fruatur) cognoſcebatur eſſe cal-
p. 10. culus felleus, qui ablutus et modice ſiccatus longitudine pollicem vnum Pariſ. cum $7\frac{1}{2}$ lineis, latitudine maxima pollicem cum dimidia linea, pondere fere quinque drachmas aequabat, figurae ad ipſius veſiculae felleae figuram accedentis, ſuperficiei in quibusdam locis inaequalis et eleuatae, politae quaſi, coloris bruni ſeu badii, ſiccatione fiſſuras aliquas patientis; in aqua frigida plane non ſubſidens, ſed eidem innatans; facili negotio cultelli cuſpide diuidi ſe patiebatur, tumque offerebat corticem in medio tenuiorem, in extremitatibus craſſiorem, ex ſtriis primo parallelis, tum magis concentricis, quo propiores centro, conſtantem; hoc in centro ſtriarum faſciculi conici conuergebant, flaueſcentes ſeu ex badio nigricantes, interiectis aliis albis et ſelenitis ad inſtar ſplendentibus: nucleus igitur proprius nullus erat, qualis in aliis cholelithis obſeruatus eſt, cuius etiam ſpecimen aliquod Cl. Auctor in adiecta figura exhibet. Calculum vero iam deſcriptum, et iconibus quatuor, cum integrum, tum diſſectum, depictum, vere ex bile indurata conſtare, ex ipſa ſtructura cryſtallina quaſi patet, quum guttula bilis bouinae euaporata ſimiles ſtrias ſeu cryſtalliſationis ſpeciem oſtendat; quod icon in fronte ſcripti huius, ex alia diſſertatione Cl. Auctoris *) huc translata, docet.

Iam

*) Pericula nonnulla microſcopico-chemica circa fel ſeri, Erl. 1766.

Iam ad diſquiſitionem chemicam ſubſtantiae ipſius quod ſpectat, fruſtum eius candelae admotum ſtatim liqueſcebat et flammam concipiebat; in vaſe fictili item ſtatim liqueſcebat, fumum denſum foedum ſpargebat, candebat, parum cineris relinquebat, vix a magnete attrahendi, cum acidis mineralibus efferueſcentis, ſed non perfecte ab iis ſoluendi: ex reſiduo alcali vegetabile paullum terrae calcareae deiiciebat. Aquae, neque ſimplex, neque variae minerales, neque per artem aëre fixo impraegnatae; ſerum lactis, lac ipſum, acida mineralia aqua diluta, acetum vini, alcali fixum vegetabile aqua ſolutum, ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſus, lixiuium ſanguinis, ſolutio ſalium mediorum, vel nihil omnino, vel parum ſolvere viſa ſunt, ita vt colore tantum aliquo modo imbuerentur: alcali cauſticum aliquid ſoluebat et inde virideſcebat; aqua calcis viuae perparum mutabatur: oleum oliuarum et butyrum poſt aliquod tempus calculum liquare incipiebat: ſolutio ſaponis poſt plures dies eum diſſoluere videbatur, quod etiam ſolutio vitelli oui in aqua praeſtitit, item ſuccus expreſſus radicis et herbae taraxaci et radicis graminis; ſpiritus vini breui eum aggrediebatur ac demum ſoluebat, innatantibus tunc pluribus lamellulis ſplendentibus, ſali ſedatiuo ſeu floribus boracis ſimilibus; liquor anodynus, naphtha adhuc impraegnatus, frigidus iam ſolutionem praeſtabat, quae leni calore mox penitus perficiebatur, ſurgentibus ſimul bullulis aëreis, et poſt refrigerium ſimilibus, vt iam deſcripſimus, lamellis enatis; eadem fere phaenomena, licet tardius, tinctura antimonii tartariſata offerebat. p. 13.

Ex his phaenomenis colligit Cl. auctor, cholelithis nomen reſinae animalis deberi, et de earum origine diſſerens penuriam ſalium alcalinorum eidem maxime fauere docet, dum acidum, ſalis communis nimium, cuius veſtigia in corpore animali ſe produnt, bilis coagulationem et efficit et promouet; tandem- p. 16.

que ex ſupra adductis experimentis colligit, ad eiusmodi concretiones aut praecauendas aut ſoluendas
p. 20. aptiſſima eſſe remedia liquorem anodynum, ſuccum taraxaci, ſaponem, vitellum oui, et praeſertim tincturam antimonii tartariſatam, hancque ſpiritui vini ſoli iure praeferendam ob noxas ab huius vſu metuendas; ad excretionem autem praecipue balnea tepida, adiuncta abdominis frictione.

p. 21. Iam deſcriptionem ſubiungit trium calculorum biliariorum in cadauere feminae quinquaginta aliquot annorum, poſt modicum prandium accedente vomitu paullo poſt mortuae, qui inter ſe ſpecie quadam articulationis iuncti integram veſiculam felleam eiusque collum occupabant, pondere vnciae vnius et drachmarum trium, quos itidem depictos exhibet. In plurimis hi calculi, praeter denſitatem paullo maiorem, cum prius deſcriptis conueniunt, niſi quod in maioris, qui capacitatem veſiculae replebat, extremitate ſeu baſi lamella conuexoconcaua nuclei quandam ſpeciem referat; in centro calculi cryſtalluli parallelopipedae conſpiciuntur, quas etiam ſeparatim pingendas curauit Cl. auctor. Neque experimenta inſtituta alia phaenomena largiebantur.

p. 23. Alium cholelithum inuenit in cadauere viri, itidem hic depictum, nucis auellanae magnitudine, in ſuperficie granulis obſitum: ac denique nonnullorum minorum calculorum variae formae variique coloris icones ſubiungit.

p. 27. Sed progrediamur ad alteram huius ſcripti ſectionem, cui prior tractatio originem ſubminiſtrauerat. Quum enim aptarum delineationum figurarumque in phyſicis, anatomicis omnique hiſtoria naturali non tantum, verum etiam in morbis variis vſus iam plane cognitus ſit, vt idem latius, praeſertim in commodum diſcentium, extendatur, optat Cl. auctor, qualia tentamina

tamina iam aliquot facta ſunt, inter quae ſcopo huic proxime accedentia allegat, licet non exactiſſime elaborata, icones TAYLORI *) aliasque. Optat ergo delineationem faciei, quatenus ex eadem ſigna malo- p. 35.
rum, abdominis praeſertim, petuntur; morborum exanthematicorum aliorumque cutaneorum; tumo- p. 36.
rum; porro fluidorum excretorum, v. c. bilis, ſputi, p. 39.
vrinae, ſanguinis. Tunc ad vſum eiuſmodi iconum in medicina forenſi, atque in medicina conſul- p. 41.
tatoria progreditur. Difficultates huic conſilio plu- p. 42.
res ſeſe opponere non diffitetur: multum tamen eas minui poſſe exiſtimat, ſi aut pictores iuſta atque ad eiusmodi opera neceſſaria ſcientia inſtruantur, aut, quod praeſtantius, ipſi medicinae tirones horas ſubſe-ciuas artibus eiuſmodi ediſcendis atque vſu perficiendis impendant. Neque demum ipſas medicorum ima- p. 49.
gines omni prorſus vſu carituras arbitratur ad fiduciam aegrorum acquirendam firmandamque. In quibus quidem omnibus hic recenſendis nos quidem iam acquieſcimus, certe tamen perſuaſi, vix ac ne vix quidem veram naturam nos ſemper iconibus adſequuturos eſſe, quod iam ſatis ſuperque, vti ipſe teſtatur Cl. auctor, icones pleraeque ex hiſtoria naturali teſtantur: ne quid de ſumtibus tali inſtituto non euitandis addamus.

XXIII.

Diſſertatio Entomologica, Nouas Inſectorum ſpecies ſiſtens, cuius Partem primam — publ. ventiland. exhibent Praeſes CAR. P. THVNBERG — et Reſp. *Sam. Nic. Caſtröm* — d. XV. Dec. Ann. MDCCLXXXII. Vpſal. 4. plagg.

*) IO. TAYLOR noua noſographia ophthalmica, Hamb. et Lipſ. 1766. fol. vid. comm. noſtr. Dec. II. Suppl. I. p. 60. ſeqq.

plagg. 4. Tab. 1. Pars ſecunda: — reſp. *Io. M. Ekelund.* Maio. Anni MDCCLXXXIII. ib. 4. plagg. 3. tab. aen. 1.

Inſignem nouorum Inſectorum, praeſertim in Capite b. ſpei et Iaponia collectorum, numerum, methodo et ordine Linneanis deſcriptum, Diſſertatione in plures partes diuiſa tradet Cel. THVNBERG, Entomologiam non minus, ac Botanicam, detectorum copia ditans. Pars prima Coleoptera exhibet et Hemerobium. Praemiſſo generum charactere eſſentiali ſpecierum nomina dat triuialia et ſpecifica, loca indicat, deſcriptionem ſubiungit et plerarumque icones in Tabula annexa addit. Sunt iſtae ſequentes.

p. 5. LVCANVS: *Capenſis:* exſcutellatus, niger, elytrorum ſulcis punctatis. *Fig.* 1. Hab. in Cap. b. ſp. Corpus magnitudine *Tenebr. Foſſoris*, paullo maius.

p. 6. DERMESTES: *bifaſciatus:* niger, elytris faſciis binis vndulatis luteis, thorace cinereo-teſſellato. *Fig.* 2. Hab. ad C. b. ſp. Corpus magnitudine *Derm. vndati*, ſed paullo latius.

D. *interruptus:* niger, faſcia baſeos elytrorum rubra, interrupta. *Fig.* 3. magnitudo *Derm. vndati.*

D. *bipuſtulatus:* ater, glaber, capite, thorace punctoque baſeos elytrorum rubris. *Fig.* 4. magnitudo pulicis.

p 7. D. *maculatus;* niger, elytris faſcia vndata punctisque rubris. *Fig.* 5. Hab. in Suecia. Corpus ſtatura *Derm. vndati*, ſed paullo minus.

D. *marginatus:* niger, thoracis lateribus, pectore inciſurisque abdominis albis. *Fig.* 6. Hab. in Cap. b. ſp. et India Orientali. Magnit. et facies omnino *Derm. lardarii*, ſed paullo maior, totus pilis tenuiſſimis hirtus.

p. 8. D. *piceus:* totus ferrugineus elytris ſtriatis. Hab. in C. b. ſp. et India Or. Magnit. et ſtatura *Derm. marginati*, totus pilis tenuiſſimis decumbentibus hirtus.

tus. Color fere *Tenebr. culinaris*, ſed magis obſcurus.

ANOBIVM: *Ant.* claua perfoliata, triarticulata. *Thor.* marginatus, rotundatus. *Corp.* conuexum, lineari-oblongum. *Elytra* flexilia.

A. *ruficolle*: violaceum, hirtum; thorace, baſi elytrorum pedibusque rubris. *Fig.* 7. (*Derm. ruficollis* FABR. *ſyſt. Entom.* p. 57.) Hab. in Africa et India or. Magnitudo et ſtatura *Derm. violacei*, totum pilis erectis hirtum.

A. *capenſe*: atrum, hirtum, elytris violaceis, faſciis duabus albis. *Fig.* 8. Hab. in Cap. b. ſp. Magnit. maioris pediculi. p. 9.

A. *bifaſciatum*: nigrum, glabrum, elytris faſciis duabus luteis. *Fig.* 9. Hab. ad Cap. b. ſp.

A. *viride*; viride, hirtum, pedibus rubris. Hab. in Africa et India Or.

A. *rufipes*: violaceum, hirtum, pedibus rubris. Hab. in India Or. in Cap. b. ſp. inque Europa. Corpus magnitudine *Derm. violacei* ouatum, parum hirtum, totum, exceptis antennis et pedibus, violaceum. p. 10.

A. *caeruleum*: caeruleum, hirtum, lineare. Hab. in Cap. b. ſp.

COCCINELLA: Ant. claua ſolida. *Abdomen* planum. p. 11.

C. *fimbriata*: elytris flauis immaculatis margine nigro, thoracis margine poſtico punctis quatuor nigris. *Fig.* 10. Dictis punctis, raro duobus, aſt albis thoracis nullis differt a C. *marginata*. Corpus magnitudine C. *5-punctatae*.

C. *minuta*: elytris rubris thoraceque immaculatis. Hab. in Ind. or. Omnium minima, vix pulicem aequans, a C. *impunctata* differt thorace vnicolore.

C. *trinotata*: elytris rubris hirtis, punctis tribus nigris, capite rubro. *Fig.* 11. Hab. in C. b. ſp. Omnium facile minima, a C. *tripunctata* differt, hirſutie, capite immaculato et quod multoties minor. p. 13.

C. *iaponica*: elytris flauis, cruce ſuturae duplice ma-

eulisque quatuor nigris. *Fig.* 12. Hab. in Iaponia. Magnit. C. *Hieroglyphicae.*

COCCINELLA *grandis:* elytris flauis, punctis nigris tredecim, thorace nigro, marginibus flauis. *Fig.* 13. Hab. in China, missa a D. BLADH. Omnium facile maxima, hinc vt et punctis tribus in ipsa sutura com-
p. 13. munibus differt a C. 13-*punctata.*

C. *gibba:* elytris rubris, fascia punctisque sex nigris. *Fig.* 14. Hab. in C. b. sp. Corpus magnitudine C. 7-*punctatae*, totum tenuissime hirtum.

C. *octomaculata:* elytris rubris, punctis octo nigris, thorace immaculato. *Fig.* 15. Hab. in C. b. sp. Corpus magnit. C. 7-*punctatae*, totum rubrum.

C. *Psi:* elytris flauis, margine exteriore maculis quatuor nigris. *Fig.* 16. Hab. in C. b. sp. Magnit. fere C. 7-*punctatae.*

p. 14. C. *iridea:* elytris rubris punctis nouem nigris ocellaribus. *Fig.* 17. Hab. in C. b. sp. Magnitudo praecedentis

C. *oculata:* elytris rubris, punctis nouem nigris, circulo flauo circum oculos. *Fig.* 18. Hab. in C. b.
p. 15. sp. Magnit. C. 7-*punctatae.* Similis C. *nouem-punctatae*, differt longitudine fere quadrupla, punctis inuerso ordine positis, capite immaculato cum dicto oculorum circulo flauo.

C. *similis:* elytris rubris, fasciis duabus punctisque quatuor nigris. *Fig.* 19. Magnit. C. 5-*punctatae*, similis C. 11- et 13-*punctatae*, thorace toto nigro punctisque anticis connexis diuersa, a C. 9-*punctata* differt thorace toto copiteque nigro, immaculato, fasciisque elytrorum.

C. *borealis:* elytris rufis, punctis 12 nigris, thorace 4-punctato. *Fig.* 20. (COCC. *borealis* FABRIC. *Syst. Entom* p. 82.) Hab. in C. b. sp. Magnitudo C. *ocellatae* Omnia subtus lutea.

p. 16. C. *capensis:* elytris rubris, punctis 12 nigris, thorace immaculato. *Fig.* 21. Magnit. C. *ocellatae;* differt

fert a praecedente thorace immaculato et punctis elytrorum nullis connexis, a C. 12-*punctata* thorace dicto, punctis rotundis, nec vltimo repando, magnitudineque maiore.

C. *pusilla:* elytris flauis, punctis octo nigris, quadrifariis. *Fig.* 22. Minimis annumeranda, cum *minuta* et *vnipunctata.*

C. *distincta:* elytris rubris, punctis 16 nigris distincta, p. 17. *Fig.* 23. Hab. in C. b. sp. Differt a C. 16-*punctata*, punctis omnibus distinctis, thorace nigro et quod maior.

C. *flexuosa:* elytr. rubris, fasciis duabus punctisque duobus nigris. *Fig.* 24. Hab. in C. b. sp. Magnit. C. 5-*punctatae.*

C. *repanda:* elytr. flauis, fasc. tribus vndatis, nigris. p. 18. *Fig.* 25. Hab. in C. b. sp. Corpus magnit. C. 7-*punctatae*, glabrum.

C. *flauicollis:* elytr. sanguineis, punctis 10 nigris, thorace flauo. *Fig.* 26. Hab. in C. b. sp. Corpus magnit. C. 7-*punctatae*, pilis tenuissimis hirtum.

C. *vndulata:* elytr. rubris, fasc. vndatis dentatisque variis nigris. *Fig.* 27. Hab. in C. b. sp. Corpus magnitudine C. 7-*pustulatae*, supra totum adspersum pilis breuissimis cinereis.

C. *lunata:* elytr. flauis, fasc. duabus, arcu punctisque p. 19. quinque nigris. *Fig.* 28. Hab. in C. b. sp. Magnit. fere C. 7-*punctatae*, tota glabra; Signum (;) prope basin elytrorum.

C. *crux:* elytris flauis, lineis duabus cruceque nigris. p. 20. *Fig.* 29. Hab. in C. b. sp.

C. *comma:* elytris flauis, sutura, margine lineaque nigris. *Fig.* 30. Hab. in C. b. sp. Magnitudo C. 5-*punctatae.*

C. *lineata:* elytr. rubris, margine omni maculisque duabus oblongis nigris. *Fig.* 31. Magnitudo C. p. 21. 5-*punctatae*, glabra.

C. *flauipes:* elytris nigris; thorace nigro, maculis

duabus flauis. Hab. in C. b ſp. Magnitudo 2-*puſtulatae*, differt a C. *impuſtulata* thoracis lateribus flauis, absque puncto nigro et margine antico non flauo ſed thoraci concolore.

p. 22. C. *haemorrhoidalis:* elytris nigris; maculis duabus flauis, thoracis marginibus anoque flauis. C. 2-*puſtulata* minor. a C. *Cacti* differt magnit. multoties minori, macula elytrorum flaua, nec fulua, a Cocc. 2-*puſtulata* magnit. itidem minori, macula elytrorum ſimplici, nec compoſita ex maculis tribus confluentibus, thoracis marginibus luteis, ano tantum fuluo nec abdomine toto.

C. *laeuis:* elytr. nigris, punctis ſex flauis, thoracis angulis anticis flauis. *Fig.* 32. Magnit. C. 2-*puſtulatae*, glabra, differt a C. 6-*puſtulata* thorace maculato, capite flauo, ſitu et figura punctorum in elytris.

C. *riuoſa:* elytr. nigris, lunulis ſex punctisque quatuor rubris. *Fig.* 33. Hab. in C. b. ſp. Magnitudo C. *ocellatae*, tota gibba, glabra.

p. 23. C. *dentata:* elytr. nigris, margine exteriore linea tridentata, punctisque ſex flauis. *Fig.* 34. Hab. in C. b. ſp. Magnitudo C. 14-*punctatae.*

C. *hirta:* elytr. nigris, maculis duodecim rubris. *Fig.* 35. Hab. ad Promont. b. ſpei. Magnitudo fere C. *ocellatae*, tota pilis cinereis hirta.

p. 24. C. 20-*puſtulata:* elytr. nigris, punctis fuluis viginti. *Fig.* 36. Hab. in C. b. ſp. Magnitudo C. 7-*punctatae*, tenuiſſime hirta, gibba.

C. 8-*guttata:* elytris rubris, maculis octo flauis. *Fig.* 37. Hab. in regno Iaponico. C. *ocellata* paullo maior, glabra. Omnia ſubtus et alae rubra.

p. 25. CICINDELA *gigantea:* nigra elytris coſta longitudinali ſerrata, acuta, thorace bilobo. *Fig.* 38. Hab. in viis ad C. b. ſp. celerrime currens et mordens, vulgaris. Magnitudo Carabi maioris. Thoracis elytro-

rorumque facies a Cicindelis diuerſa, Carabis valde ſimilis.

Cicindela iaponica: violacea, elytris baſi, apice faſciaque cupreis, punctis duobus faſciaque luteis. *Fig.* 39. Hab. in Iaponia. Corporis magnitudo *C. ſyluaticae*. Subtus omnia e cyaneo violaceoque nitent.

C. *tridentata*: purpuraſcenti-aenea, elytris linea marginali tridentata. *Fig.* 40. Habitat in Ceylona et Coromandelia. Magnitudo C. *hybridae*, ſubtus omnia aenea nitida, barba ſparſa alba, inprimis femora. Differt a C. *marginata*, quod faſcia nulla ſit vndata, nec punctum vllum in baſi elytrorum. p. 26.

C. *catena*: viridi-aenea, elytris linea marginali flaua, triramoſa. *Fig.* 41. 42. 43. (FABR. *ſyſt. Ent.* p. 226 id. nom.) Hab. in C. b. ſp. inque Indiae orientalis plurimis locis ſatis frequens. Corpus C. *hybridae* paullo minus, ſimilis C. *capenſi*, vt forſan ſola varietas, licet paullo minor, ipſa varia; vtraque tomento albo in thorace et lateribus pectoris ac abdominis ſingularis. p. 27.

GYRINVS *capenſis*: elytris viridi-aeneis margine pallido. Hab. in riuulis prope Cap. alibique in Promont. b. ſp. GYR. *Natatore* minor.

HEMEROBIVS *grandis*: alis ſubaequalibus, reticulato-venoſis maculis duabus pallide flauis. *Fig.* 44. Hab. in Iaponia. p. 28.

Continuata paginarum ſerie continuoque Figurarum in Tabula addita numero pergit haec Pars CIMICES deſcribens. *Generis* characterem *Roſtrum* inflexum, *Pedesque* curſorii conſtituunt. Species ſequentes ſunt. Pars II. p. 29.

C. *Acaroides*: ſcutellatus, ater, thorace, ſcutello abdomineque albo-marginatis. Hab. in Cap. b. ſpei. Corpus magnitudine C. *ſcarabaeoidis*, totum aterrimum nitidum conuexum Pedes lutei.

C. *ſilphoides:* ſcutellatus, niger thorace poſtice, ſcutello antice, margine linea media maculisque duabus albis. (STOLL. *Cim.* p. 19. Pl. IV. 21) Hab. in Cap. b. ſp. Corpus magnitudine C. *baccarum*, facie ſilphae.

p. 30. C. *diophthalmus:* ſcutellatus, ruber thorace punctis duobus nigris, pedibus cyaneis. *Fig.* 45. Hab. in C. b. ſp. Corp. fere Scarabaeum *ſtercorarium* magnitudine aequat.

C. *multipunctatus:* ſcutellatus, ruber thorace ſcutelloque punctis minutiſſimis plurimis nigris.

p. 31. (STOLL. *Cimic.* p. 40. Pl. IX. 60.) Hab. in C. b. ſp Corpus magnitudine C. *griſei.*

C. *grandis:* ſcutellatus, rufus maculis thoracis tribus ſcutellique quinque nigris. *Fig.* 46. Hab. in India or. Magnitudo fere Scarab. *ſtercorarii;* macularum

p. 32. ſitu et numero a C. *Druraei* diuerſus.

C. *Liligerus:* ſcutellatus, ferrugineus ſcutello punctis nigris duobus, faſciaque vndulata albida. (STOLL. *Cim.* p. 40. Pl. IX. 59.) Hab. prope Swartkops Zoutpan et Promont. b. ſp. interioribus regionibus. Corp. magnitudine C. *Stockeri.*

C. *guttigerus:* ſcutellatus, cinereus ſcutello baſi punctis duobus albis. *Fig.* 47. Hab. in Iaponia. Magni-

p. 33. tudine C. *Scarabaeoidem* vix ſuperat.

C. *ſpinifex:* ſpinoſus, linearis, cinereus ſcutello biſpinoſo. *Fig.* 48. Corp. lineare, facie et magnitudine C. *tipularii*, totum cinereum.

C. *hiſpidus:* ſpinoſus, oblongus, griſeus thorace, capite pedibusque hiſpidis. Hab. in Indiis.

p. 34. C. *acutus:* ſpinoſus, linearis, cinereus thoracis margine albido, abdomine punctis ſex nigris. Magnitudine et facie C. *clauati.* Thorax obſolete ſpinoſus, pedes inermes.

C. *clauatus:* ſpinoſus, lineari-oblongus, ferrugineus femoribus poſticis incraſſatis, ſcutello immaculato. *Fig.* 49. Hab. in Iaponia. Corp. magnit. C. *immu-*

lati,

lati, ſed paullo anguſtius. Thorace punctis minimis nigris muricatis poſtice acute ſpinoſus, femora interne 3-ſpinoſa.

C. *iaculus*: ſpinoſus, linearis, fuſcus femoribus poſticis incraſſatis ſpinoſis, ſcutello linea alba. *Fig.* 50. Magnitudine et facie C. *piloſi*, totus fuſco-ferrugineus, tenuiſſime villoſus. Thorax poſtice ſpinoſus, femora interne ſpinulis minimis ſerrulata, tibiae apice vniſpinoſae. p. 35.

C. *piloſus*: ſpinoſus, linearis, ferrugineus linea capitis pectorisque laterali albida. Corpus C. *clauato* paullo minus. Apex ſcutelli albus. Thorax poſtice ſpinoſus; Femora villoſa, interne multiſpinoſa.

C. *villoſus*: ſpinoſo-tuberculatus, totus piceus villoſus. (STOLL. *Cim.* p. 57. Pl. XIII. 90.) Corpus C. *annulato* maius.

C. *crux*: ſpinoſus, niger thorace flauo, cruce nigra. (STOLL. *Cim.* p. 43. Pl. IX. 65.) Hab. prope Swartkops Zoutpan in C. b. ſp. Corp. magnit. C. *perſonati*, oblongum. p. 36.

C. *pungens*: ſpinoſus, oblongus, ſupra fuſcus, ſubtus albidus pectore abdominisque lateribus nigro-punctatis. Hab. in Promont. b. ſp. Corp. magnit. C. *annulati*.

C. *notatus*: ſpinoſus, oblongus, ſupra ferrugineus, ſubtus cinereus, abdomine ſextuplici ſerie punctorum nigrorum. Hab. in Promont. b. ſp. Corp. vix magnitudine C. *annulati*. p. 37.

C. *trigonus*: ſpinoſus, teſtaceus hemelytris ſcutelloque puncto albo. (STOLL. *Cim.* p. 50. Pl. XI. 78, 79.) Hab. in Iaponia et Surinamo. Magnitudo C. *abietis*.

C. *muricatus*: ſpinoſus, oblongus, cinereus, muricatus tibiis poſticis baſi dilatatis. *Fig.* 51. Hab. in Promont. b. ſp. Corp. magnitudine C. *Hyoſcyami*. Similis C. *femorato* tibiis poſticis compreſſis, ſed hic multoties minor, vndique muricatus et thorace poſtice ſpinoſus. p. 38.

C. *vni-*

C. *vnipunctatus:* ſpinoſus, oblongus, teſtaceus puncto ſinguli hemelytri nigro. *Fig.* 52. Hab. in Laponia. C. *trigono* plus duplo maior.

p. 39. C. *thoracicus:* ſpinoſus, oblongus, viridi-aureus thoracis margine luteo. (STOLL. *Cim.* p. 38. Pl. VIII. 55. A.) Hab. in India or. et Surinamo. Corp. magnit. C. *annulati*, ſed longius, ſupra aureo-viride, ſubtus flaueſcens, glabrum.

C. *analis:* ſpinoſus, oblongus, viridis abdomine rubro, ano nigro. (STOLL. *Cim.* p. 46. Pl. V. 72. B.) Magnit. praecedentis, ſed paullo latior.

p. 40. C. *transuerſus:* ſpinoſus, rotundatus, viridis capite thoraceque antice flauis. *Fig.* 53. Hab. in Africa, in Cap. b. ſp. Corpus magnitudine C. *iuniperini*, ouatum.

C. *humeralis:* ſpinoſus, ouatus, viridis hemelytris baſi luteis. *Fig.* 54. C. *iuniperino* quadruplo maior, quadrangulari-ouatus.

p. 41. C. *ſubulatus:* ſpinoſus, ouatus, vireſcens ſcutello linea eleuata ſubulata. *Fig.* 55. Magnitudine et facie praecedentis, ſupra fuſco-viridis, ſubtus albidus, obſolete et tenuiſſime punctatus.

C. *comma:* ſpinoſus, rotundatus, cinereus ſcutello linea flaua. *Fig.* 56. Hab. in Cap. b. ſp. Corpus magnitudine C. *baccarum*, ouatum.

p. 42. C. *reticulatus:* ſpinoſus, ouatus, cinereus, nigro-varius, thorace ſerrato. (STOLL. *Cim.* Pl. XVI. 111.) Hab. in Cap. b. ſp. Magnitudine C. *baccarum*.

C. *Fullo:* ſpinoſus, ouatus, niger, albo-irroratus, capite thoraceque linea alba. *Fig.* 57. Hab. in Laponia, in inſula Dezima ſatis vulgaris. C. *rufipedi*

p. 43. maior, totus vti Scarabaeus *Fullo* niger maculis albis ſingulis, minutis, inprimis ſupra irroratis et punctis impreſſis varioloſis.

C. *tibialis;* ſpinoſus, ouatus, brunneus albo fuſcoque lineatus, ſcutello maculis tribus albis. *Fig.* 58. Magnitudine C. *baccarum*.

C. *ſulcatus:* ſpinoſus, ouatus, cinereus, fuſconebuloſus abdomine ſulcato. (STOLL. *Cim.* p. 33. Pl. VI. 47.) Hab. in India or. Coromandelia et alibi. C. *baccarum* paullo maior.

C. *fuſcus:* ſpinoſus, oblongus, ferrugineo-fuſcus antennis pedibusque hirſutis. Magnitudine fere C. *valgi.* p. 44.

C. *ſordidus:* ſpinoſus, cinereus thorace denticulato, antennis pedibusque piloſo-hiſpidis. Hab. in Iaponia. Magnitudine C. *marginati*, totus ſordide cinereus; Abdomen ſupra ſanguineum.

C. *iauanicus:* ouatus, luteus ano obtuſo, antennis pedibusque ferrugineis. (STOLL. *Cim.* p. 9. Pl. 1. 2.) Maximus Cimicum, aeque fere latus ac longus. p. 45.

C. *chinenſis:* ouatus, flaueſcens ano quadridentato, ſterno porrecto. *Fig.* 59. Hab. in Iaponia et China. E maximis; ſterno porrecto ſingularis, quo, vt et antennis compreſſis, coloreque luteſcenti. Similis praecedenti, magnitudine minori et ano quadridentato diuerſus.

C. *brunneus:* ouatus, ſupra brunneus, ſubtus fuſcus, antennis piloſis. Hab. in India orientali. C. *rufipede* paullo maior.

C. *incarnatus:* ouatus, ruber thorace antice hemelytris ſcutelloque maculis duabus violaceis. STOLL. *Cim.* p. 14 Pl. II. 10. A. *D.* ib. p. 29. Pl. VI. 39. Cim. aurantius SVLZ. Cim. incarnatus DRVRY) Hab. in Bengala, Coromandelia, Ceylona et alibi. E maximis. Maculae ſcutelli interdum obſoletae. p. 46.

C. *Anchora:* rotundatus, thorace hemelytrisque maculis ſex nigris, ſcutello anchora alba. *Fig.* 60. Hab. in Iaponia et China. Magnit. C. *griſei.* Differt a C. *cruciato* colore, maculis et figura. p. 47.

C. *fimbriatus:* rotundatus, niger thoracis elytrorumque marginibus rubris. *Fig.* 61. Hab. in Cap. b. ſp. Corp. C. *oleraceo* paullo maius. Marginum latitu- p. 48.

titudine et pectorali faſciae ſanguineae intenſitate variat.

C. *variegatus:* rotundatus, nigro cinereoque varius, ſcutello punctis duobus flauis, capite thoraceque albolineatis. *Fig.* 62. Magnitudo C. *griſei.*

p. 49. C. *venoſus:* rotundatus, ruber, fuſco-pictus abdomine ſerie ſextuplici punctorum nigrorum. Hab. in Promont. b. ſp. Magnit. C. *oleracei.*

p. 50. C. *coſtatus:* ouatus, cinereus linea hemelytrorum nigra. *Fig.* 63. Hab. in interioribus regionibus Cap. b. ſp. C. *oleraceo* paullo maior.

C. *cornutus:* ouatus, depreſſus, cinereus thorace lineis tribus eleuatis, antennis fuſiformibus. Hab. in Iaponia Magnit. et facie C. *Cardui,* cui ſimilis, ſed diſſert antennis dictis et colore magis flaueſcente.

C. *melaleucus:* ouatus, ater hemelytris albis: maculis duabus nigris. Hab. in Cap. b. ſp. Magnitudo C. *ſcarabaeoidis.*

p. 51. C. *hirtus:* ouatus, ater, totus hirtus. Hab. in Cap. b. ſp. Magnitudo C. *oleracei.*

C. *niger:* ouatus, ater, thorace tibiisque ciliatis. Hab. in Cap. b. ſp. et Indiis vulgaris. Magnit. C. *oleracei* vel paullo maior. Variat magnitudine quadrupla et octupla.

C. *carnifex:* oblongus, rufus antennis roſtro tibiisque nigris (FABR. *ſyſt. Entom.* p. 781. id. nom.) Hab. in Tanaceto *crithmifolio* infra Tafelberg C. b. ſp. Magnit. C. *Rolandri.*

p. 52. C. *bilineatus:* oblongus, ſupra ſanguineus thorace elytris ſcutelloque albo-marginatis. Hab. in Cap. b. ſpei. Magnitudo C. *pratenſis.*

XXIV.

Tal, om nödig jämförelſe emellan de chemiſka Vnderſökningar, och Naturens verkningar, hållet i Kongl. Vetensk. Academien vid Praeſidii Nedläggande, den 9. Iul. 1783. af Herr IOH. GOTTSCH. WALLERIUS. Stockh. 1783. 8. pl. 1.

i. e.

Oratio de neceſſaria operationum naturae cum indagationibus chemicis comparatione etc. auct. IO GOTTSCH. WALLERIO, Chem. Prof. et Reg. Ord. Waſ. Equite aurato.

De neceſſaria, quatenus liceat, dicta operationum actionumque naturae, cum indagationibus chemicis comparatione, ad tutam perfectioremque corporum indolis et compoſitionis notitiam obtinendam, ſermo eſt Cel. Auctori, qui triginta annorum laboribus chemicis edoctus, alienas ſaltem, recentiores ſententias, quin potius coniecturas, non nimis feſtinanter, antequam ad propria experimenta aut comparationem cum operationibus recurſum fuerit, eſſe aſſumendas, praeſertim, vbi de compoſitione corporum ſermo fuerit, errores reperiſſe aſſerit, quae non ſemper tuto chemicis poſſit inferri experimentis. Sic calcem iuxta vitriolum, vel acidum vitrioli, ineſſe poſſe monet aquae, modo non combinatam, aſt ſub euaporatione decomponi vitriolum et oriri gypſum ochramue, antea in aqua iſta non praeſentia. Similiter diuerſa illa producta, quae deſtillata det ſpiritus vini cum oleo vitrioli miſcela, decompoſitionem, recompoſitionem nouam et deſtructionem quandam, reſpectu obtentae terrae, requirere addit Noſter, neque obtenta per operationes chemicas educta ſemper eſſe cenſenda, et, quae analyſin rite factam optime demonſtret, ſyntheſin ſaepe contradicere, dum exacta

p. 4.

p. 5.

p. 6.

p. 7.

arte-

artefacti cum naturali comparatio diuerſas ſaepe doceat proprietates. Sic artificialem MARGGRAFII, e terra aluminis et arena ſubtili, argillam a naturali differre, POTTIVM probaſſe, quippe illius terra alcalina omnibus acidis mineralibus ſit ſolubilis, ex hac vero ſolius vitriolici ope terra aluminis producatur. Naturam ergo conſultandam eſſe, pergit Cl. Auctor,
p. 8. et illuſtrationis cauſſa exempla proponit. Sic, occaſione ſic dicti aëris fixi ſ. acidi aërei, ſulphureis, ful-
p. 10. gura demiſſa comitantibus, veſtigiis docere Naturam putat, praeter caſu forſan eleuata acida non dari in aëre noſtro, niſi ſpiritum ſubtiliſſimum, volatilem, elaſticum actiuumque ſulphureum, electrico fluido eundem, aquarum mineralium acidum, pyritarum fa-
p. 11. tiſcentia ortum, ſique artefactum acidum aëriforme a vitriolico vel ſulphureo diuerſum ſe praebeat, horum minus violentam inde tantummodo ſequi ſeparationem, vt igitur, quod efferueſcentia alcalicorum cum acido vitrioli obtineatur, calci vel cretae tribuendum non ſit, ſed ipſi acido vitriolico, ſub efferueſcentia decompoſito inque ſpiritum inuiſibilem aëriformem reſoluto, vti ſimiliter nitroſum acidum ex parte mutari viſum ſit LAVOISIERO; quin reliqua aëriformia liquidum, a quo ortum duxerint, prodant;
p. 12. nequeminus negandam eſſe putatam acidi aërei in calcibus metallicis praeſentiam, et vitrioli martialis ſub telluris ſuperficie per calcem decompoſitionem ac ortae ochrae per acidum ſurſum latum ſolutionem, nec calcinari ſub ſolutione metalla, ſed tantum ſub menſtrui receſſu, quod tunc demum phlogiſton ſecum rapiat, metallicae terrae euulſum.
p. 13. Alterum exemplum a ſiliceorum origine petit Noſter, ruperta per ſua aliorumque experimenta in ani-
p. 14. malibus rudioribusque vegetabilibus fere ſola calcarea terra, plurium mixtarum in his praeſentiam refellens, magneſiam albam, cuius iam ante BLACKIVM MARGGRAFIVMQVE proprietates nouerit BRANDT, mutu-

mutatam forte esse terram calcaream concedens, ast dicto argumento et repertis in Achatem mutatis lignis inque silicem versis conchyliis mutatam a natura calcaream terram in duriorem siliceam patere existimans, quibus accedant effecta per naturam silicis in calcem resolutio ac calcarei nuclei crustaeque cretaceae in silicibus reperiundae.

Denique non minus erroneam eorum censet opinionem Cl. Auctor, qui alumen ex pyritis non, nisi simul argillam contineant, aut in argillaceis lapidibus occurrant, obtineri contendant, dum pyrites Dyltensis, destillando sulphuri visitatus, exactissimo exploranti nil argillaceum prodat, et tamen residuum, aëris actione per sexennium vltraque expositum, elixiuatione copiosum vitriolum, ast post iteratam per 7 vel 8 annos aëri expositionem merum alumen largiatur, quin pyrites artefactus, e ferro et sulphure, pari modo etiam tandem alumen porrigat, Lavam vulcanicam, exusti fusique pyritae scoriam, saeculorum intervallo in argillam mutari obseruauerit Cl. FERBER, et pariter in argillam resolui scoriam ferri, aëri diu expositam, notauerit ZIMMERMANN, vt itaque forsan non male argillam metallorum basin dixerit SCOPOLI, a qua forte originem ducat ferri terra purissima, summo eiusdem per ignem naturalem destructionis gradu, teste RINMANNO, siliceam se praebens, quod mirum non sit, cum argilla tam acidis, quam valido igne, perfectam subeat mutationem, omnem amittat tenacitatem et terrae similis euadat siliceae. Patet e dictis, Cl. Auctorem, recentiorum argumentis nondum conuictum, pristinis adhuc inhaerere opinionibus, locumque supersesse dubitationi, vlterioribus tantummodo partim tollendae experimentis.

p. 15.

p. 16.

XXV.

Rifleſſioni ſulla natura, cagione e cura dei Cancri, con alcune utiliſſime Oſſervationi fiſiologiche e pratiche per la cura dei medeſimi, Opera di GAETANO MERULLA, Meſſineſe, Dottore di medicina, e profeſſore di Chirurgia, Academico Apatiſta, Etruſco, e Socio dell' Academia di Bottanica, e D'iſtoria naturale della celebre univerſità di Cortona, dedicata all' illuſtriſſimo Signore D. FRANCESCO ARDIZZONE, dottore di Medicina etc. in Firenze, per Gaet. Cambiagi, ſtampator granducale MDCCLXXV. 8. mai. 302 pl. Figur. II.

i. e.

Diſquiſitio, de natura, cauſa et curatione cancri, adjectis quibusdam obſeruationibus phyſiologicis et practicis, ad cancri curam ſpectantibus. Auctore GAET. MERULLA etc.

Inter morbos, quibus a multis inde annis humanum genus vehementer excruciari ſolet, nullus profecto tam pertinax tamque rebellis eſt, quam is, quem vulgo ſub cancri nomine comprehendimus. Et quamvis tum ad illius naturam penitius cognoſcendam, tum ad eius vim infringendam, a viris in arte ſua maxime peritis, multae hactenus prolatae fuere ſententiae et curandi rationes; tamen, cum poſt multas ambages veritas demum indagari ſoleat, multa nos adhuc latent, quae ad eius morbi naturam et ſanationem ſpectant. Quare omnino is, qui in ejusmodi morbi indolem inquirere, additisque obſervationibus, ejus curationem illuſtriorem reddere ſatagit, non ſolum omnem laudem mereri, ſed etiam inter eos videtur poſſe referri, qui toti generi humano
p. 2. bene cupiunt. Quam veteres nobis reliquerunt cancri

cri definitionem, ea ita accurata et certa habita eſt, ut de eius veritate nullus dubitaret. Hinc per multorum ſeculorum ſpatium recentiores contenti hac cancri idea, ejus penitiorem indagationem plane neglexerunt. Mox autem de veterum doctrina ambigere, ſibique ideam aliam veriſimiliorem et experientiae magis conſentaneam fingere de iſto morbo coeperunt. Putabant enim veteres, cancros cum tumoribus confundentes, oriri illud malum ab acrimonia rodente, quae a ſanguine melancholico, atrabiliario et aduſto proveniret. Sic GALENVS cancrum generari autumat ab atra bile, HELMONTIVS a ſale alcalino corroſivo, atque VALESIVS cauſam huius mali ponit in ſale et terra ab humore ſeroſo ſeparata et ſpoliata. Idem fere ii, qui recentiores dicuntur, mutatis tamen verbis affirmare videntur, dum cancrum ab acido fermentato enaſci ſinunt, quod ſit coagulabile, cancri principium poſſit producere, ejus progreſſum augere, et tandem exulcerationem creare, ita, ut illud acidum in fine, tantam acrimoniam contrahere poſſet, quantam aqua fortis habet.

Recte monet igitur Cl. Auctor, non poſſe veram et accuratam cancri definitionem exhiberi, propterea quod ſit et ſuo in ortu, progreſſu, et multifaria forma, quam adſciſcere poſſit, maxime diuerſus. Quae exſtant tum veterum tum recentiorum hujus mali definitiones, eae duntaxat figuram et effectum, quem edit, concernunt. Subnectit deinde GALENI, CELSI et AEGINETAE de cancro ſententias, ex quibus aeque atque ex allatis recentiorum quorundam diuerſis opinionibus, colligit, non poſſe ob variabilem cancri et ſedem et mutationem, ejus ſignum pathognomonicum conſtitui. Saepe enim accidere ait, ut cancer ſine ullo ab illis allato ſigno appareat, contra autem praeſentibus fere omnibus ſignis, cancer verus non adſit. Dictum illud quo magis eluceſcat, ſequenti obſerua- p. 14.
tione, inſtituta in juvene viginti ſex annos habente,

Art. I. p. 9

corroborare annititur. Habuit ille nempe tumorem ſub lingua, qui vulgo ranula appellatur, quem cum putarent materiem conſuetam continere, aperiebant: ſed haec res, facta inciſione, longe aliter, quam primo putabatur, eveniebat; nam primum materies obſcuri coloris et pertenuis emanabat, et altero die ingens ſuperueniebat inflammatio, ad linguae pharyngisque muſculos uſque ſeſe diſpandens, ita ut aeger nec loqui nec deglutire poſſet. Cedebat quidem inflammatio adhibitis medicinis, ſed animadvertebatur ſub mento, glandula tumefacta et paullulum dolens, quam jam tres menſes ante ranulae ortum ſe ſenſiſſe aeger affirmabat. Quinto poſt aperturam die, conquerebatur de dolore genarum ac temporum punctorio, ſimulque de capitis ingenti dolore, et dehinc omnia cancri ſigna in vulnere deprehendebantur, quibus aeger duobus poſt factam inciſionem menſibus peractis, miſere peribat. Hunc tumorem negat in principio fuiſſe benignum, et poſt demum in cancroſum verſum; id neutiquam fieri contendit, ſine diſpoſitione ad cancrum jam ſingulari, et materia corrupta jam latente.

p. 19. Nunc ad cancri deſcriptionem progreditur, eamque ſuccinctam exhibere ſtudet. Tumores cancroſi varios adſciſcunt characteres, variamque induere poſſunt formam, quae vel a tempore ortus, vel ab incremento illius maſſae, vel ab ipſa denique parte, in qua ſedem ſigit, dependet. Varium maſſae augmentum, a mala fermentatione, in cancro ſemper praeſente, repetendum eſt. Nominat igitur cancrum cum Dn. de LISLE et Dn. GENDRON transformationem partium neruoſarum, glandularium et vaſorum lymphaticorum in ſubſtantiam informem, duram, compactam et indiſſolubilem, quae incrementum capere et exulcerationem contrahere poteſt. Mutari inſuper poteſt contextus celluloſi natura aeque ac aliarum membranarum, quae in parte affecta offenduntur, quae utcunque natura tenues et ſubtiles ſint, tamen eiusmodi

modi partes interdum vidit in carnoſam, duram, cartilagineam, imo, ut in pia matre et teſticulorum membranis factum eſt, in oſſeam ſubſtantiam immutari.

Facilius in partibus oritur glanduloſis. Acturus de differentia et diſtinctione cancri, eum in occultum et manifeſtum dividit, deinde varia ejus nomina, quae a ſua ſede deſumuntur, apponit, eumque, qui a lue venerea ortum traxit, ſyphiliticum cancrum nominat. Peculiaria cancri aperti ſigna ſunt: vulnus, hujus labiorum inverſio et durities, carnium color albidus, dolor lancinans, adſpectus horridus, et materiei ichoroſae et acris effluuium. Scirrhum ut fontem et primum principium futuri cancri conſiderat. Pertinet ille ad tumores lymphaticos, et oritur a motu lymphae retardato, quae ſenſim ſenſimque moram contrahens, coagulatur, vaſa minima collateralia obſtruit, et tumorem tactui reſiſtentem progignit. De differentia ſcirrhi eiusque diviſione in imperfectum, perfectum, particularem et univerſalem. Scirrhi cauſam in obſtructione vaſorum lymphaticorum poſitam eſſe, contra eos probare annititur, qui, quum facta ſcirrhi ſectione anatomica nihil, nec viſcoſi, nec reſoluti in eius interiori ſubſtantia detegere potuerint, eius cauſam, mutationem aliquam putabant eſſe ſubſtantiae partium mollium. Sed non modo ex ipſius lymphae coagulabili natura, et vaſorum, quae permeat, ſubtilitate, huius obſtructionis poſſibilitatem demonſtrat, ſed etiam ex allato exemplo iuuenis cuiusdam, cuius narium mucus in cartilagineam duritiem, ſola remora mutatus erat, hancce ſententiam ſtabilire ſtudet.

Artic. II. p. 21. p. 27.

Antequam de cancri ſede exponit, primum praemittit quaedam de ſtructura et uſu mammarum, quippe in his apud feminas plerumque oriri ſolet cancer, deinde fuſius de lactis ſecretione agit. Mammae ſunt, propter ſuam ſingularem conſtructionem et teneram admodum fabricam, duobus potiſſimum tumorum

Cap. II. p. 40.

generibus obnoxiae. Alter horum tumorum, a ſtagnatione ſanguinis in vaſis arterioſis, lymphaticis, et ſeroſis producitur, et inflammatorius nuncupatur, alter autem enaſcitur ex humorum lentore, et inter frigidos ſic dictos tumores refertur, eſtque fere ſemper ſcirrhi et cancri fons.

p. 64. Nunc ipſam inflammationis theoriam proponit, in qua ſeſe *Boerhaavianae* ſententiae ſubſcribere videtur.

Art. III. De ſcirrhis mammarum inflammatoriis eiusque cauſis

p. 79. diſſerens, praeſertim pro eorum cauſa habet, lac accumulatum in mammis, ſi nutrices puerulis aut ad ſatietatem usque, ubera ſua non praebent, aut lactantibus, prae dolore in papillis orto, ubera omnino negant: porro alimenta nimis nutrientia plebeiis feminis exhibita, et animi pathemata. Quae de ſignis tumorum inflammatoriorum in mammis addit, ea nihil praeter iam cognita continent.

p. 86. Nunc de iis tumoribus mammarum ſcirrhoſis et cancroſis loquitur, qui ab humorum depravatione et lentore ortum ſuum trahunt. Sunt illi in principio cognitu difficiles, et praeſertim eo tempore, quo ſanguis menſtruus aut prorumpit, aut ceſſat, apud feminas plerumque conſpicui. Signum ſcirrhoſi et cancroſi tumoris, deſumitur ex duritie, inaequalitate, aſperitudine anguloſa, quotidiano molis incremento et dolore lancinante, quem ex continuo noui humoris afluxu, glandulam extendente, explicat. Tamen in eiusmodi tumorum prognoſi facienda, caute verſandum eſſe monet, quoniam interdum tumores quidam, qui benignis adſcripti fuere, peſſimos produxere effectus.

p. 92. De his nunc ad uteri cancrum tranſit Cl. Auctor, praemiſſa primum uteri deſcriptione anatomica, ex qua Ipſi veriſimile eſſe videtur, poſſe illud viſcus omnino, tum propter vaſorum ſine valvulis in eo praeſentium magnum numerum et teneritudinem, tum propter lentiorem motum fluidorum in hiſce vaſis obvium,

et

et irritari et debilitari per obſtructiones et congeſtiones ibi enatas, indeque facile ad eiusmodi morbos diſponi. Inter cauſas cancri uterini, refert aërem humidum vaporibus refertum, humorum excernendorum ſuppreſſiones, animi pathemata et victum crudum corruptum, qui primum fluorem album producere poteſt, ex quo deinceps carcinomata uteri oriri ſolent. De uteri inflammatione eiusque cauſis occaſionalibus. Tumores illi ſcirrhoſi et carcinomatici cognoſcuntur, ex duritie, reſiſtentia et tumore: ſentiunt mulieres in parte affecta pondus quoddam majus vel minus grave, quod videtur uterum verſus vulvam premere, praeſertim ſi erecto ſtant corpore; ſi autem femina ſupina jacet, tumor ille inteſtinum rectum premit, excitatque, ſi imperfectus adhuc eſt ſcirrhus, inſignem dolorem. In uteri fundo reſidens ſcirrhus, in regione hypogaſtrica tactu explorari, et a grauiditate, ſuis et cauſis et effectibus diſtingui poteſt. In principio horum tumorum omnino medicina locum habere, imo interdum optimo cum fructu dari poteſt; ſi autem iam in cancrum fuerint conuerſi, id quod cognoſcitur, ex dolore acuto in utero praeſente, dolore lancinante, circa renes et coſtas ſaeviente, ex tenſione, ex ponderis grauiſſimi ſenſu, ex duritie partium vicinarum, denique ex proruptione variorum humorum, diuerſam habentium indolem pro diverſa carcinomatis et malignitate et duratione, tunc eorum exitus fere ſemper exitioſus habendus eſt. p. 105.

Etiam in uteri vagina ſaepiſſime occurrit cancer, occupatque membranam nerueam rugas ibi conſtituentem, et quam maxime ibi ſedem figit, ubi haec membrana cum vaginae ſphinctere coniungitur. Oritur interdum a miaſmate venereo, vaginae glandulas occupante, et aeque ac uteri cancer extimeſcendus eſt. p. 116.

De oculorum cancro. Inter morbos oculorum ſingulares quinque ſpecies ſecundum Ill. ST. YVES opinionem, in cancrum abire poſſe exiſtimat. Prima p. 119.

ſpecies refert tumorem durum, qui plerumque palpebrae ſuperiori adhaeret, et vaſa verſus baſin ſuam habet ſanguine atro plena, colorem plumbeum referentia; aeger continuo conqueritur de dolore pungente. Secunda ſpecies oriri poteſt ex porro, reperiundo iuxta angulum oculi internum, ſub palpebrarum coniunctione; hic tumor, radices ſuas profunde agit, multisque vaſis ſanguiferis diſtinctus eſt. Tertia ſpecies, ex varicum quodam genere produci poteſt, quod vaſa atro ſanguine plena, et plumbeum colorem habentia refert. Quarta ſuccedit vulneribus, aut lacrymali ſacco, aut ipſi carunculae inflictis, oritique etiam poteſt, ex quacunque alia cauſa, lacrimas acriores reddente, quae acrimonia deinceps, palpebras inferiores arrodit, et vulneris labra calloſa reddit. Quinta ſpecies eſt ſequela accepti ictus, aut percuſſionis in orbitae arcu, vel partibus oculi vicinis, cuius bina attulit exempla. Pari modo Cl. ST. YVES idem malum a tribus verrucarum ſpeciebus in palpebris oriri poſſe ſtatuit. Quarum prima eſt verruca tenuis pendula, cuius radix cutis ſuperficiem duntaxat occupat: ſecunda multo latior eſt cutique altius inhaeret, et tertia non ſolum latiſſima eſt, verum etiam radicibus ſuis per omnem cutis craſſitiem penetrat, habet inſuper in ſua ſuperficie multa vaſa ſanguifera, et omnium eſt facillime ad cancrum prona. Obſeruatio de cancro in membrana oculi coniunctiua enato: convertebatur haec in maſſam informem et excreſcentiam ſarcomatoſam, ſclerotica et cornea in putrefactionem abiere, humor tum aqueus, tum vitreus, pus conceperunt, et cryſtallinus humor, ſpiſſior, durior et opacior factus eſt, colorem adſciſcens luteſcentem. De narium cancro. Eſt ille vel externus, ſuo charactere facile diſcernendus, vel internus, qui plerumque ſuccedit ozaenae et narium polypis, ſeque manifeſtat dolore punctorio et ulceris calloſitate. Labiorum et linguae cancer, plerumque primum uti porrus apparet, fit poſtea durus,

p. 123.

p. 126.

durus, dolorem creat, volumen ſuum auget, externe in ulcus abit, dum interne ſuam duritiem auget et rapidos facit progreſſus. Sed et gingiuae cancro ſubiectae ſunt: enaſcitur ille ex carnoſa gingivarum excreſcentia, quae vulgo epulis dicitur, cuius ſpeciem Ipſe obſervavit in noſodochio. Aurium cancer eadem ſigna et eosdem characteres cum illo cancro communes habet, qui in cute obſeruatur, attamen in eo differt ab cutis cancro, quod eius progreſſus per ſubſtantiam huius organi lentius fiat, isque facilius et exſtirpatione et cauſticis remediis tolli poſſit.

Poſtea quoque mentionem iniicit cancri illius, qui praeputium male habere ſolet, de quo binas ſpecies, externam nempe et internam, affert; utraque autem ſpecies plerumque oritur a cauſa venerea, et ſimili modo enaſcitur, ac cancer cuti proprius. Ex eadem cauſa venerea etiam cancrum penis ſaepiſſime oriri ait; incipit ille ſub ſpecie tuberculorum corneam ſubſtantiam habentium in glande, atque etiam in praeputio ſaepe e praegreſſa phimoſi aut paraphimoſi originem ſuam trahit. Denique de cancro cutis quaedam exponit, qui in principio plerumque ſeſe prodit per enatum paruum porrum, duritiem aut minorem aut maiorem habentem, leviſſimo attrectatu ſanguinem plorantem, eumque aut purum aut ſero mixtum, ſiccatum deinceps cruſtam relinquentem, quae quoties decidit, toties iterum ſeſe reſtituit. Hic porrus ſenſim ſenſimque in ſuppurationem abit, fundens ſeroſitatem aliquam, carnium loturae ſimilem, in cuius progreſſu, grana dura, parva, albidum colorem habentia, obſeruantur, quorum in vicinia, maculae rubrae minimae conſpiciuntur, quae mox in ulcus abeunt, et veram cancri naturam adſciſcunt. p. 131.

Cauſam cancri proximam nunc definit, eamque in lympha vitiata et corrupta ponit, quae ſecundum Cl. Auctoris opinionem, dum in parte aliqua haeret, Cap. III. p. 142.

per fermentationem perverſam, aſſumit indolem alcalinam, cuiusque continuo affluxu, opinatur, enaſci poſſe tantae molis tumores. Exemplum enarrat eiusmodi permagni tumoris, qui apud feminam in labiis pudendorum enatus, poſt feliciſſimam exſtirpationem,
p. 158. triginta duo libras pendebat. Non omnis verus ſcirrhus in cancrum degeneratur, quamuis in eum abire poteſt; promouetur autem ſcirrhi mutatio in cancrum vel ipſius humoris in ſcirrho contenti mala indole, vel medicamentis externe male adhibitis. Quam maxime in ſcirrho ſanando, ad tempus eius durationis attendendum eſſe ſuadet, in quo, ſi adhuc recens eſt, aut eius reſolutionem, aut ſuppurationem tentandam eſſe proponit: id quod allatis quibusdam exemplis confirmare ſtudet, ubi aliquot veri ſcirrhi per ſuppurationem feli-
p. 169. citer fuerint penitus ablati. Secundum ſuas obſeruationes, etiam ſcrophuloſi tumores, polypi, et alia mala
C. IV. V. externa, cancri naturam induere poſſunt; qua occa-
p. 174. ſione quaedam hic adiecit, de ſcirrhi degeneratione in occultum et in apertum cancrum, quae mutatio iuxta Cl. Auctoris mentem per fermentationem fit, quae aut plus, aut minus fortis et acris exiſtere, et pro ſua ſingulari aſſumta indole, cancri varios gradus ſiſtere poteſt: deinde ſcirrhi, et cancri, tum occulti, tum aperti, diagnoſtica et prognoſtica ſigna, adiectis obſeruationibus, illuſtrat.

Ad ipſam nunc tumores ſcirrhoſos tractandi methodum devenit, et in iis adhuc recentibus et incipi-
Cap. VI. entibus, reſolutionem commendat. Iure ommino re-
p. 196. prehendit uſum laminae plumbeae, quae vulgo eiusmodi tumoribus imponi ſolet, reiicitque omnia, quae irritant, medicamenta. Cum SWITENIO contra externe ſuadet Gummata reſinoſa, emollientia omnia et Mercurialia, quorum ope aliquoties tumores ſcirrhoſos in parotide obortos, ad ſuppurationem coegit et ſanavit. Medicamenta interna, in caſu pertinaci, cum externis coniungenda; in menſtruorum defectu,

phle-

phlebotomia inſtituenda, et in uniuerſum, humores vel attenuandi, vel eorum motus languidus aut ſtimulantibus, aut roborantibus corrigendus eſt. Scirrhus p. 205. verus, ſi, omnibus tentatis, volumen ſuum diminuere non incipit, metusque oritur futuri cancri, ferro reſecandus eſt. Hac occaſione Cl. Auctor plures attulit obſeruationes, ex quibus perſpicuum fit, ob neglectam ſcirrhi exſtirpationem eiusque tractandi negligentiam, ſaepiſſime euenire, ut in cancrum abeat, et homines miſere perdat: adjunxit inſuper quoque multas egregias obſeruationes, partim a ſe, partim ab aliis factas, quae de felici eventu ſuſceptae ablationis teſtantur: quarum vna praeſertim, ob eius raritatem notari meretur, quae ablationem teſticuli ſcirrhoſi, ſex libras pendentis, eiusque felicem ſanationem exponit.

Eadem fere curandi methodus, in cancro vero lo- p. 233. cum habere poteſt; tamen et ablatio, et exſtirpatio, reliquis omnibus praeferenda, cuius operationis non ſolum cautionem, ſed etiam neceſſitatem, diligentiſſime obſervationibus quibusdam adiectis, oſtendit. Etiam cauſticorum medicamentorum applicatione cancer interdum ſanatus fuit, quae quum non ubique proſint, imo aliquando, ſi incaute adhibita fuerint, noxam inferant, potius omittenda, et partis ablatio, modo ſi fieri poteſt, his praeferenda. Optima cauſtica hoc in loco ſunt, et lapis infernalis, vel per ſe, vel ſolutus adhibitus, et mercurius praecipitatus ruber: reliqua, ut arſenicum, aqua fortis etc. ut minus tuta, reiicienda ſunt. Exempla cancrorum cauſticis feliciter ſanatorum. Si nulla alia, ob multas res concurrentes, radicalis curatio, ante cancri exulcerationem locum habere poteſt, ad curam palliatiuam confugiendum eſt, per quam hoc malum magis protrahi, quam curari, poteſt. Attamen etiam in huius applicatione probe cauſae expiſcandae ſunt, et videndum, utrum ab interna, aut externa ortum ſit malum, ne medicamenta perverſe adhibeantur. Quare pro re nata, mox adſtringentia, mox corrigentia,

ut

ut belladonna, cicuta aut alia exhibenda ſunt, valde tamen cavendus emplaſtrorum aut pinguium uſus.

p. 272. Etiam in cancro aperto palliativa cura locum habere poteſt, in quo ſi vulnus nimis ſiccum fuerit, aut nullus ichor cum doloris augmento deprehendatur, ſuccus aut plantaginis aut atropae belladonnae, linteo carpto applicatus, et vulneri impoſitus, commendatur. Si autem contra evenerit, et vulnus nimium ichorem acrem fundit, ita ut metus ſit, ne partes vicinae laedantur, tunc aut pulueres, aut aquae adſtringentes et ſtypticae imponendae, vel compreſſio adhibenda eſt. Si denique cancer altius ſerpere et profundius penetrare cupit, id quod ex nova inflammatione circa tumorem orta facile cognoſcitur, tunc aquam phagadaenicam cum myrrha vel aloëticis coniunctam, utiliſſimam eſſe ait. Magnam tenſionem et inflammationem ſopit impoſito emplaſtro de cruſta panis, lacte, et faſciarum conſtrictione, de cuius egregio uſu

p. 278. obſervationes aliquot appoſitae teſtantur. Denique de cura palliativa carcinomatis interni agit, et in eo, ſi uterum occupauit, lenia purgantia, ſemicupia, injectiones, cataplasmata anodyna, et quae reliqua ſunt, commendat.

XXVII.

Mediciniſch practiſche Beobachtungen, erſte Sammlung. Von Dr. HEINRICH FELIX PAULIZKY, *Fürſtlich Salm-Kirburgiſchen Rath. Frankfurt am Mayn, in der Andreäiſchen Buchhandlung. 1784 gr. 8. 88 S.*

i. e.

Obſeruationum e practica medicina deſumtarum collectio prima, edita ab HENRICO FELICI PAULIZKY, Medicinae Doctore etc.

Si

Si quid unquam medicinae partem practicam illuſtriorem reddere, et ad maiorem certitudinis gradum evehere poteſt, id certe obſeruationibus clinicis, ingenii acumine, per longam annorum ſeriem inſtitutis, et omni fide narratis, optime praeſtatur. Hoc modo enim, non ſolum ad ipſos morbos accuratius cognoſcendos et definiendos, verum etiam ad remediorum uſum ſtabiliendum, eorumque effectus magis determinandos, omnino reddimur aptiores. Quicquid igitur diuturna meditatione longoque medendi uſu quotidie obſeruatur, id in commune bonum ingenuo liberalique animo conferendum eſſe, putamus. Collectio illa, de qua quaedam nunc nobis ſunt dicenda, ſex diuerſos pertractat caſus, quorum plures adhuc nobiscum Cl. Auctor communicaturus eſt, data ipſi occaſione.

De phthiſi pulmonali. Ea potiſſimum phthiſeos p. 1.
ſpecies, quae morbos catarrhales ſequi ſolet, in Hunnorum tractu, vulgo *Hunsrück* dicto, fere endemice graſſatur. Omnino conferunt ad hujus morbi frequentiam, et celſior regionis illius ſitus, aëris ventorumque viciſſitudines, et inprimis incolarum vivendi ratio, cum aut magnis oneribus ferendis, aut lapidibus achatis perpoliendis, vitam quaerere cogantur. Accedit etiam, quod irruentes morbos catarrhales, vel male tractant, vel plane negligunt, hinc fieri aliter non potuit, quin Cl. Auctori ſaepenumero occaſio daretur, ortam ex illis morbis phthiſin, et videndi, et in eius cauſas magis adhuc inquirendi. In arce *Wil-* p. 9.
denburg dicta, utpote celſiſſima huius tractus regione, omnes praefecturae adminiſtratores, de quorum vita certi quid erui poterat, phthiſi mortem obiere. In uniuerſum non dubitandum eſſe ſtatuit, quin phthiſicorum plurimi, ab hoc morbo liberari, ſanarique ex toto poſſent, modo ſi citius hic morbus cognoſci, eiusque vera cauſa enucleari poſſet. Medicamenta, quibus ad profligandum illud malum uſus eſt, quorumque

que medicatas vires experiri voluit, tria ſunt omnino; lichen Islandicus, inſpiratio vaporum emollientium,
p. 10. et polygalae amarae radix. Vir annum aetatis quinquageſimum octavum agens, atque in phthiſin iam procliuis, incidebat in peripneumoniam bilioſam, quae quidem oppoſitis remediis cedebat, attamen relinquebat dolorem profunde in pectore ſaevientem, cui in fine accedebant lenta febris, ſputum purulentum graveolens et ſtriis ſanguineis mixtum, pedum oedema et facies denique hippocratica. Omnia adverſus dira illa ſymptomata, aliquamdiu incaſſum fuerant adhibita medicamenta, ita ut, de aegri ſanitate deſperaret: adhibitis autem vaporibus vi bechica et emolliente impraegnatis, et ope machinae a MUDGE et BÜCHOZ depraedicatae, pulmonibus admotis, non ſolum expectoratio liberior reddita eſt, ſed etiam caeteraſymptomata, vel mitiora, facta vel plane profligata ſunt. Interea quoque aeger utebatur infuſo corticis peruviani et ſero lactis cum radicum graminis extracto remixto,
p. 21. quorum uſu ſanitas in integrum reſtituta eſt. Adhibuit quoque fumigationes illas a Cl^mis BILLARD et FABRE laudatas in phthiſi: attamen cum Cl^o MORIN fatetur, ſe nullum ab his vidiſſe ſolamen, ſed qui illis utebantur, ſenſiſſe pectoris dolores, anxietates, et verbo, nunc magis, quam antea, male ſeſe habere coepiſſe. *)

De utilitate lichenis Islandici in Phthiſi, tria exempla attulit. Exhibuit decoctum lichenis aqua paratum, aut ſimpliciter, aut cum ſaccharo lactis, aut lacte caprino, aut oxymelle ſcillitico combinatum, vel in phthi-

*) Fumigatio laudata ſic inſtituitur: ſumatur cerae citrinae non adeo purificatae, libra una, et totidem reſinae pini, liqueſcant inuicem leni igne in vaſe figulino probe incruſtato, quod ponatur in mediam cubiculi partem, ita, ut aeger in lecto decumbens, eo commodius poſſit vapores de liqueſcenti cera et reſina adſurgentes inſpirare, vid. *Sammlung, auserleſener Abhandlungen* etc. 2 *B.* 4 *Stück* p. 123.

phthiſeos initio, vel eo tempore, ubi morbus ille radices iamiam egerat, et allatis exemplis quibusdam confirmauit huius remedii ſingularem adverſus hunce crudelem morbum vim. Commendat inprimis huius p. 31. medicamenti uſum in iis phthiſeos ſpeciebus, quae ab acri quadam materia, metaſtatice ad pulmones delata, oriuntur, atque affirmat, ſe nunquam ab eius medicamine noxam vidiſſe, ſed contra obſervaſſe, per laudati lichenis decoctum, diarrhoeas colliquatiuas, in huius morbi fine maxime frequentes, magis diminutas fuiſſe, quam per ipſum corticis peruuiani uſum. Non eandem Ipſi utilitatem praeſtitit *polygalae amarae radix* in morbo phthiſico, cuius tamen vis atque efficacia non ſolum a Cl. MURRAY, ſed etiam ab aliis comprobata eſt: imo perſaepe ſiniſtrum edidit effectum.

De uſu opii in morbis inflammatoriis et rheumatis. Recte hic notat Cl. Auctor, quod rarus et nimis meticuloſus opii uſus impedimento fuerit, quo minus eius vera efficacia in morbis quibusdam, vel adhuc lateret, vel certe ſaltem non recte ſatis definita eſſet. Adhibita cautione, omnino opium propinandum eſt. Dantur morbi conſtitutiones, quae opii uſum plane reſpuunt, id quod exemplo feminae, triginta annos habentis, confirmat. Huic enim laboranti morbo inflammatorio, poſt inſtitutam venaeſectionem, praeſente tamen pulſu adhuc duro, non amplius quam nouem laudani liquidi Sydenh. guttulae, in emulſione per vices propinabantur: quibus ſumtis, crudelia ſymptomata ſuperueniebant, et in peius morbus abibat, etenim, ut Cl. Auctor fatetur, intempeſtiuo opii uſu, non ſolum ſanguinis motum acceleratum, ſed etiam totum morbum, iam forte criſin molientem, perturbatum fuiſſe. Iam vero laudatur opii uſus in gaſtritide, enteritide, et herniis incarceratis, coniunctis cum magna inflammatione et dolore, in quibus ſaepe, et inprimis in puella, veneſectione praegreſſa, laudanum, ad novem guttas usque exhibitum, egregios praeſtabat effectus. p. 39.

In

p. 49. In morbis rheumaticis chronicis, opium nude exhibitum, noxam inferre ſolet, utile autem deprehenditur, ſi cum ipecacuanha coniunctum in corpus ingeratur. Id quod exemplo comprobatum, vidit in homine robuſto, rheumaticis doloribus laborante, cui, quum poſt ſanguinem e vena emiſſum, puluerem dediſſet alexitericum DOVERI, ille non ſolum doloribus liberatus, verum quoque in integrum reſtitutus eſt. Cur opium, ſi cum ipecacuanha coniunctum fuerit, non eodem modo, ac ſi ſolummodo per ſe datum ſit, in ſyſtemate neruoſo exerceat narcoticam ſuam vim, cauſam in eo ponit, quod nauſeoſum illud et volatile principium, quo haec radix gaudeat, et a quo emeſin movendi vis repetenda ſit, adeo irritare neruoſum ſyſtema, in eoque motum eiusmodi ciere poſſit, ut illud non ita facile ſeſe ab opio ſopire patiatur. Eiusmodi vim quoque poſſident caetera emetica, ut antimonialia praeparata, ſi cum opio coniunguntur; hinc Cl. Auctor in morbis catarrhalibus, inflammationibusque topicis, extractum opii aquoſum BOVQVETI cum vino antimonii HVXHAMI remixtum, non ſine magno aegrotorum ſolamine exhibere ſolet.

p. 54. *Hiſtoria haemorrhagiae uteri magnae per ipecacuanham ſanatae.* Iam ſaepius ſalutiferum ipecacuanhae uſum in haemorrhagiis uterinis expertus erat, attamen ſequens caſus omnem Ipſi attentionem mereri videbatur. Puerpera ſextum iam fetum excluſa, decimo quarto ab puerperio die, febre corripiebatur, quae ad febris biliioſae naturam accedere videbatur. Mox autem profligatam febrem ſequebatur permagna uteri haemorrhagia, quam ira ſibi vehementi contraxerat. Hocce in caſu, quamuis omnia, quae vulgo adhiberi ſolent medicamina, tum interne, tum externe, tentata fuerant; (inter quae tamen celebratas admodum a Cl. LE ROI in uteri haemorrhagia deſiderauimus turundas vel glomera aceto vini madide facta, et in uteri vaginam intruſa) tamen haemorrhagia ſiſti non potuit,

ſed

ſed ſyncope et convulſionibus accedentibus, mortem mox futuram praeſagiebat. Interea granum ipecacuanhae radicis, coniunctum cum drachma ſemis ſacchari albiet tribus vicibus exhibitum, haemorrhagiam ex toto coërcebat, et quae inde relinquebatur debilitas, ea corticis peruviani uſu penitus ſublata eſt.

De aphonia et auditu difficili, ortis illis a ſaburra primarum viarum, et tum aëris fixi, tum evacuantium uſu ſanatis. p. 68. Iuvenis duodeviginti annos natus, cum mane jejunus aquatum iviſſet, animi deliquio proſtratus inventus eſt: mox autem ad ſe rediens loqui non poterat, et omnis corporis ſuperficies praeter faciem, maculis ſubfuſcis petechiarum fere ſpeciem referentibus, contegebatur. Auditus gravis aderat, ſed caetera ſymptomata, quorum praecipua pulſus plenus et celer, dolor abdominis, mingendi dolorosa difficultas, abdomen tenſum et deglutitio laeſa ſine inflammatione erant, longe aliter ſeſe habebant, ac ea, quae ut plurimum ſolent neruoſam aut exanthematicam febrem concomitari. Igitur cum cauſam vel a vermibus in primis viis nidulantibus, vel ab ipſa impuritate ibidem collecta repetendam eſſe ſtatueret, primum ipſi aërem fixum, Cl. HULMII methodo ingeſtum, propinavit: deinde autem eius corpus bene perpurgavit. Vermes poſt datum laxans comparuerunt nulli, ſed magna putridorum et mucilaginoſorum excrementorum copia e corpore exibat. Poſt haec et loquela et auditus rediere, et nullo alio auxilio adhibito, priſtinum ſanitatis ſtatum recuperabat. Singularem hance loquelae et auditus abſentiam ex conſenſu neruorum explicat, qui in primis viis irritati ab aeri quadam materia, utique ſenſuum organa turbare poſſunt.

Hiſtoria haemorrhagiae uteri, narium et gingivarum, praeſentibus ſimul maculis rubris et ſublividis in cute conſpicuis. p. 76. Femina viginti et ſex annos nata, corporis habitu graciliori et temperamento ſanguineo praedita, jam inde a longo tempore circa illud tempus, quo

menſium fluxus provenire ſolet, et capitis doloribus vagis, et tumore eryſipelaceo ſemper in dextra gena apparente, laborabat. Haec cum aliquando negotiis quibusdam domeſticis ante illum diem vacaret, quo menſium profluvium inſtabat, menſes quidem altero die tulit, ſed ſimul ſentiebat inconſuetum corporis languorem, caput male affectum erat, dextra gena erat inflata, dextrique oculi tunica albuginea leviter inflammata conſpiciebatur. Tertio die mane, expergefacta poſt ſomnum valde inquietum, omnis cutis deprehendebatur lividis et ſubfuſcis maculis obſita, quae non ſolum petechiis non abſimiles erant, verum etiam, ſi acu pungebantur, ſanguinem facillime plorabant. Mox ſanguis e dextra nare, et paullo poſt e gingivis exire incepit, ita ut omnis ille ſanguis, ex alveolis dentium inciſorum et canini, qui eſt in dextra maxillae ſuperioris parte, prorumpere videretur. Lingua et fauces diſtinctae erant puſtulis, ex quibus apertis ſerum exibat. Menſes per quinque dies fluere pergebant, deinde ultro ceſſabant, narium autem profluvium aluminis uſui cedebat, ita ut ſola adhuc ſupereſſet gingiuarum haemorrhagia ſedanda, quae per ſedecim dies tanto cum impetu ſaeviebat, ut aegra quotidie ſanguinis libram profunderet, qui quidem cum ſaliua remixtus erat, attamen nullum foetorem ſpargebat. Cum Cl. Auctoris auxilium imploraretur, praeter jam dictam gingiuarum haemorrhagiam alia adhuc ſymptomata ſimul aderant, ut alui obſtipatio, urinae retentio, febris et virium magna iactura, coniuncta cum pulſu admodum debili et ſubinde intermittente. Recte ſtatim indicabat, ſanguinem non ſolum revellendum, ſed et incraſſandum eſſe, aptaque huic indicationi remedia opponebat, quo facto, haemorrhagia imminui primum, deinde plane ceſſare incepit. Vigeſimo die uteri profluvium rurſus comparebat, quod autem laxatis vinculis, quibus artus adhuc conſtricti tenebantur, ſtatim ſupprimebatur. Re-

licta

licta adhuc corporis debilitas ſuperata eſt, infuſi corticis peruviani cum elixirio acido HALLERI et aquae cinnamomi combinati uſu, extracto martis et balneis frigidis. Maculas iſtas ſubfuſcas in aegra conſpicuas non ex humorum acrimonia, ſed ex ſanguinis ad vaſa cutanea impulſu valido explicat, affirmatque, illas maculas in iis potiſſimum frequenter occurrere, quorum habitus cutaneus laxior ſit conſtitutus. Neque prorſus in haemorrhagiis artuum ligaturam eſſe reiiciendam, nec et ubique temere adhibendam, quippe quae interdum menſtruum fluxum augere, interdum eundem ſupprimere poſſit. Crurum deligatio conducit, ſi menſium retentio ab uteri laxitate et debilitate repetenda eſt, et in eo caſu fluxum menſtruum juvat, dum per ejusmodi ligaturam ſanguis in uterinis vaſis contentus majorem motum acquirit: noxam contra omnino infert, ſi vaſa illa ſpaſtice contracta, inflammata, ſanguine turgefacta, aut obſtructa ſunt. p. 85.

XXVII.

Practical Obſervations on the more obſtinate and inveterate venereal Complaints by I. SCHWEDIAUER M. D. London, printed for Johnſon and Elliot 1784. 8. 233. pagg.

i. e.

Obſervationes practicae de morbis venereis rebellibus et inueteratis Auctore I. SCHWEDIAUER.

Operam nec inutilem, nec leuem, ſuſcepit Cl. SCHWEDIAUER, Viennenſis. In tanta enim luis venereae varietate, in iſto formarum multiplici habitu, in tanta medicorum de natura morbi, inprimis miaſmatis, contentione ac diſſenſione, oleum non perdidit, cum ad diri ac clandeſtini mali hiſtoriam

penitius explicandam ſeſe accingeret, inde ab *Aſcle-pi* tempore repetendo, quicquid hinc illinc dictum vel ſcriptitatum erat, et omnia docte, dextre ac accommodate memorando, diiudicando, reſtringendo. Neque minorem voluptatem inter legendum perſenſimus, cum is, qui doctiſſimum opuſculum ſcriberet, germanus eſſet, eaque re iterum oſtenderet, non vanum habendum eſſe elogium, quod vulgo nationi noſtrae datur, eam prae ceteris aptam eſſe ſcriptis, in quibus, praeter experientiam et iudicium, ſummam deſiderat diligentiam. Redeamus ergo ad rem ipſam, cum bono vino hedera opus non ſit, et perluſtremus ſingula capita.

p. 1. *Cap. 1. De infectione venerea et diuerſis formis, quibus labes iſta veluti occultatur.* Praeuia infectionis eiusque ſequelarum definitione, Cl. SCHWEDIAUER curate deſcribit, quousque pertineant lues venerea et ceteri morbi venerei, v. c. bubo, gonorrhoea rel. et vberius percenſet, miaſma venereum diu in corpo-
p 3. re latitare poſſe ſine vlla euidenti nota vel noxa, exemplis haud leuibus vſus, vbi per menſes, quin nouem annos veluti ſepultum iacuit. (Haec quidem apprime contraria opinioni Cl^i TODE, qui hoc vnquam fieri poſſe vel potuiſſe, more ſuo negare auſus eſt.) Similiter incertum eſt, ſi de tempore, quo infectio peragi debeat, quaeritur. Sunt enim, qui inter impuros amplexus conſeneſcant, ſed minime vitio tacti; Sunt contra, qui breui poſt coitum peſſimis turpiſſimae luis ſymptomatis affecti reperiantur. (Hic vir Cl. veluti in tranſitu quaedam de origine morbi gallici in medium profert, vſus potiſſimum lege, quam 1347 regina *Ioanna* I. in lupanaribus obſeruari iuſſerat, ne qua femina meretrix labem contraheret, contractamque cum iuuenibus communicet. Sed in hoc aeque, ac Cl. HENSLERVS, fallitur, quod inde veteres luis natales repetat. Nam id vnum exinde ſequitur, poſt immoderatum coitum

cum

cum femina impura, i. e. acribus humoribus ſcatente, vitia localia eſſe obſeruata, lues vero ipſa nuſpiam ante ſuetum tempus memoratur, nec ad viuum deſcribitur.) Vtrum vero miaſma in corpus inſidere poſ- p. 7.
ſit, neque tamen ſui praeſentiam in ſuperficie prodere, non ſatis liquet, etſi ſua experientia quindecim annorum condocefactus tales notas ſemper reperit, quas aegri aut ignorabant, aut negligebant. De in- p. 9.
fectione fetus, dum in vtero latitat, dubitat Noſter, quia vlcera venerea recens natorum magis ab vaginae impurae tranſitu et cute teneriori ideoque ab reſorbendum aptiori repetenda videantur. (Recte quidem haec omnia, ſed cum idem cutis habitus fetui in vtero materno ſit, vnaque arctiſſima cum matre colligatio, quidni et ibidem fieri oririque poſſit? Nonne ergo duplex infectionis modus δυνατὸς, alter ab vtero, alter ab vaginae ſordibus? Nec deſunt exempla, vbi, matris naturalibus illaeſis, fetus ſcabie peſ- p. 13.
ſima notatus et editus fuit.) Immo vero ſub Auctore Noſtro lues, quae noſtros homines moleſtat, aeque dira et ſymptomatis foediſſimis comitata venit, ac olim, neque, vt affirmant multi, poſt binorum ſeculorum ſeriem mitior facta eſt, attamen rarius tam peſtifera eſſe deprehenditur, quia nec noſocomia, nec medici, nec φιλάνθρωποι deſunt, et curatior medendi via adhibetur.

Cap. 2. De gonorrhoea virulenta. Primum vir p. 16.
Cl. de nomine diſputat, et *blenorrhagiam*, i. e. mucî fluorem, appellat, nomine a ſimilitudine catarrhi ducto; deinde illud vitium ab vlcuſculis profectum eſſe negat, ſed magis ab inflammatione ſuperficiei mu- p. 18.
cum vberius euocari contendit. Quod ad controverſiam nuper a *Todio* et quibusdam Anglis motam attinet, vtrum idem miaſma et gonorrhoeae, et luis ſit, et prius poſſit poſterius malum inducere, praevia explicatione argumentorum in vtramque partem allatorum, auctor eſt, idem vtrumque natura ſua eſſe, nec vlla ratione diuerſum, et tranſitum gonorrhoeae p. 20.

in luem pendere a peruerſa curatione: Ipſe enim ſic
ab repreſſo humore gonorrhoeae ſimplicis viderat or-
p. 22. ta luis perfectae ſymptomata. Hinc docte refellit
aliam inde ductam ſententiam, qua miaſma gonor-
rhoeae nequaquam cancrum, neque hunc illam, ge-
nerare poſſe aſſeritur. Saepe enim gonorrhoea ma-
p. 24. ligna inſecuta eſt cancrum, et contra. Immo vero
ſub auctore Noſtro falſum eſt, quod quidam nupe-
rorum medicorum nobis perſuadere ſategerunt,
mercurium nihil valere in curanda gonorrhoea. Nam
ſi ſolam benignam exceperis, reliquae ſine hoc non
penitus abiguntur, ita tamen, vt extrinſecus applica-
p. 26. tur. Sic multum conferet ad citandam curationem,
neque fallet medicum, niſi male praeparatus ſit. Vn-
de ſatis intelligitur, medicos, qui in contrariam par-
tem eunt, non bene diſtinxiſſe gonorrhoeam ſimpli-
cem et complicatam. Hanc ſi quis ſanatam iactitet
ſine mercurio, nae is eſt omnium thraſonum impu-
dentiſſimus. Quin ipſa gonorrhoea reſidua (gleet)
haud raro rebellis ad quaeuis artis praeſidia, tandem
p. 31. huic concedit remedio. Praeter haec iſte genitalium
fluor ſolet ſequi acritudinem quandam humorum huc
depoſitam, ergo non quiuis putandus eſt venereus.
Tale effluuium viridiuſculi vel liuidi humoris perpe-
tiuntur nonnunquam equi et canes ſine vlla valetu-
dinis iactura, ſine vlcere lambentis linguae. (Hoc
vidimus non ſemel in cane, qui totus eſſet in amori-
bus, neque ſemper per duritiem dominae appetitum
exſatiare poterat.) Sufficit ergo quisque ſtimulus,
producendae meatus vrinarii inflammationi aptus.
p. 31. Id quod vir Cl. in ſe ipſo expertus eſt, cum aquam
cauſticam ſibi iniiciendam curaret. Sub primo ex-
perimento prae dolore coactus eſt deſiſtere; Sub al-
tero fortiter tolerauit dolorem et iniectionem per ho-
rae minutum primum. Illico ſenſit vrinae mittendae
ſtimulum, ſed compreſſit, donec poſt intolerandas
moleſtias cubitum iturus humorem obſcoenum mittere
de-

debuit. Male ſe habuit locus ab iniectione irritatus, at vero poſtero mane effluxit viridiuſculus humor, qualis gonorrhoeae verae proprius eſt, ſuperacceſſit dyſuria, et ſub inſequente nocte inuoluntaria penis arrectio; Altero die porrexit fluere copioſior et magis in viridem colorem inclinans humor, ſed minui coepit vrinae difficultas. Iniecto oleo amygdalarum dulcium, ſedatus rerum ſtatus eſſe videbatur. Sed ſpes fefellit. Noua exorta eſt inflammatio cum ceteris gonorrhoeae ſignis; quae vbi per octo dies continuarat, inſecuta eſt tertia. Hinc prae metu ternas iniectiones ſingulis diebus tentauit, et tandem, ſpatio ſex hebdomadum finito, ſanus euaſit. Hoc experimento fretus Cl. SCHWEDIAUER ſtatuit, quamuis acrimoniam, puta cancroſam penis, idem, quod iniectio cauſtica, efficere poſſe, (Nos bis gonorrhoeam p. 36
podagricam vidimus, cui nulla ſubeſſet miaſmatis venerei ſuſpicio) et dari duplicem *gonorrhoeam, ſyphiliticam* et *ab acri* aut *ſtimulo mechanico* oriundam. Illa ſi ſimplex eſt, nunquam fere deſiderat mercurium. Color ſiue albus, ſiue prauus eſt, nec benignitatem, nec malignitatem morbi prodit, quippe ſaepenumero peſſimus vſque ad abitum permanet.

Sequitur *medendi ratio*. Haec in eo conſiſtit, vt p. 38.
iniiciantur oleoſa et mucilaginoſa in vrethram, non poſthabitis lenioribus medicinis mercurialibus et opio, non neglecta venae ſectione, ſi quando inflammatio nimis vrget, quia longe praeſtant topica vna cum fomentis mollientibus, non omiſſo cortice, ſi corpus irritabile eſt, fluor tenuis et male coloratus, nec non pulſus debilis, itemque opio ſub clyſteris forma. Ad p. 40.
cauendum teſticulorum tumorem Noſter inde ab initio adhiberi iubet ſuſpenſorium, damnat ſalia media, quia vrinam acriorem ciendo inflammationem concitant, et purgantia remedia, quia plus obſunt, quam proſunt, laudat denique, ſi quando morbus incommodat, et vrina difficulter ac cum dolore profluit,

vel gonorrhoea, ſub ſtatu inflammatorio ſiſti coepit, frictiones perinaei ex mercurio.

p. 45. *Cap. 3. De gonorrhoea veteri* (gleet.) Oritur hoc vitium perquam moleſtum duplici ex cauſſa, quarum prior eſt inflammatorum oſculorum relaxatio (*Blennorrhoea ſimplex* Noſtri,) poſterior quaedam vlceratio ſiue roſio quorundam vrethrae locorum. (Haec Noſtro dicitur *Blennorrhoea complicata.*) Ad tollendum vlcus locale praeſtantiſſima eſt iniectio ex aqua et vitriolo albo, vel id genus aliis ſiccantibus. Ad minuendam humorum labem, quae tunc temporis ſemper coniectanda eſt, praeuia ſanguinis correctione, valet plurimum iniectio bis terue ſingulis diebus ex mercurio ſublimato et lithargyrio, cum aceto et aqua commiſto. (Sed nos talia tentantes ſaepe deſtituit ſpes.)

p. 49. Praeterea cautiones ſubiiciuntur, quarum inter iniiciendum magna eſt vtilitas, diſſuadetur vſus balnei frigidi, laudatur fomentum teſticulorum ex aceto et aqua frigida, commendatur triplex remediorum genus, puta mercurialia, balſamica et roborantia, et finiuntur ſuperiora capita cum *tabula noſologica*, quae memoriam mire iuuat.

p. 63. *Cap. 4. De tumore teſticulorum venereo.* Docet Noſter rei et experientiae appoſite, non teſticulum

p. 65. tumefieri, ſed epididymidem, et auctor eſt, vt, ſi pulſus celer et citatus eſt, vena ſecetur, aluus cieatur, aeger balneo calido molliente foueatur, ſcrotum ſuſpenſorio muniatur, et fomenta tepida peni ſuperhabeantur. Eminet tamen opium largiter ore velano ſumtum, vnde intra biduum gonorrhoea cum leuami-

p. 71. ne aegri rediit. Ad ſcirrhum leuandum iuuat plurimum mercurius ore hauſtus et ſub vnguenti forma perinaeo inunctus, non poſthabitis fomentis ex radice atropae belladonnae L. vel herba cicutae. Contra

p. 74. decoctum daphnes mezerei offendit ſtomachum. Ratio eſt teſticuli inflammati ſuppuratio: Id quod caſu

memorabili, vbi simul aderat pulmonum vomica, confirmatur.

Cap. 5. De inflammatione et induratione glandulae prostatae. Reuocanda primum est gonorrhoea suppressa, quae tantum non semper praecessit, ne suppuratio insequatur, secunda pessimorum symptomatum mater; Sin vero iam vrget inflammatio, opus est mercurio extrinsecus et intrinsecus admoto. In duritie vero vtilia sunt cataplasmata mollientia et cicutae vsus. (Nos nunquam destituit emplastrum de ranis cum mercurio et de cicuta, modo sub initio superhaberetur.) p. 75.

Cap. 6. De ischuria et stranguria venerea. Docet vir Cl. morbum hunc eo difficiliorem curatu esse, quo magis inueterauit et complicatus est, et immedicabilem, si fungosa corpora vrethram obsident. Praeuia ergo venaesectione, catheter oleo dulci infectus immittitur, inprimis THEDENII, neque opium spernendum videtur. Quaeuis tamen ischuria venerea desiderat internum mercurii vsum, et si quando subest excrescentia, suadet quidam chirurgus Anglus occultatum veluti caustícum singularis instrumenti ministerio loco affecto applicandum. p. 77. p. 82. p. 85. p. 92.

Cap. 7. De vlceribus venereis. Dantur naturalium vlcera, nequaquam venerea, ideoque et mercurii impatientia. Hinc sedulo a se inuicem distinguenda sunt, quia non desunt tristia exempla, quibus edocemur, propter malam diagnosin post faucium vlcera amygdalas et velum palati periisse, cariem et ipsam mortem insecuta fuisse. In medicamentis externis ponuntur mercurialia, adstringentia et caustica. Praesentissimum praesidium putes mercurium praecipitatum rubrum, bis quotidie insperſum, quamdiu vlcera tecta crusta alba sunt, post haec vero frictio mercurialis, calomel ex aqua calcis superhabitum, quin ipse sublimatus mercurius. Tandem, hisce irritis, externe superimponantur cortex, aqua p. 93. p. 94. p. 100. p. 105.

vitrioli camphorata, viride aeris ex oleo ſolutum, in-
primis vero orichalcum ſub pulueris forma iuuat.
p. 107. Quin haud pauca vlcera vteri et vaginae magis ve-
nerea, quam cancroſa ſunt, et mercurio abigantur.
p. 109. Sub calcem ſubiiciuntur quaedam de fiſtulis venereis.
p. 111. *Cap. 8. De phimoſi.* Non probat Noſter inciſu-
ram propter metum haud leuem, vt recenti vulnere
ſorptio puris concitetur periculumque augeatur, ex-
cepto eo caſu, vbi inflammatio vehemens vrget, et
gangraena pertimeſcenda eſt. Proſunt iniectiones
ex mercurio ſublimato vel dulci et aqua calcis, intra
praeputium et glandem demiſſae, obſunt ſemper mer-
curialia ore ſumta
p. 114. *Cap. 9. De paraphymoſi.* Ad praecauendam gan-
graenam maturatu opus eſt. In ea ſpecie, quae ſine
venerea labe incidit, iuuat aqua frigida peni ſuperha-
p. 115. bita, et lenis preſſio. Contra in venerea operatio,
quam ocyſſime fieri poteſt, facienda videtur, et qui-
dem in contraria vlceris parte, ne virus venereum
ſorbeatur.
p. 116. *Cap. 10. De bubone venereo.* Bubones dantur non
venerei, ſ. ſympathici a ſolo irritamento externo nati.
Si qui vero proſapiae venereae ſunt, vtiliſſimae ſunt
frictiones mercuriales, non glandulae quidem tume-
factae, ſed femori lateris affecti ſuperhabitae. Cauſſa
vero, cur ſaepenumero fallant, in eo latet, quod glan-
dulae lymphaticae inferiores a ſuperioribus veluti de-
flectant, et breui via ad abdomen et ductum thoraci-
cum redeant. Hinc intelligitur irritus mercurii vſus,
qui ſub ſtatu inflammatorio ſemper abeſſe debet.
p. 128. Tunc vero cucurbitulae ſiccae ſpernendae non ſunt,
neque minus probabilis medicina cicuta. In cache-
cticis hominibus, non febrientibus, iuuat mercurius,
p. 132. nocet quaeuis excretio, ſalutaris eſt victus nutriens
p. 133. et cortex. Maturatum bubonem naturam ſoluere
praeſtabilius eſt, quia abſceſſus facilius ſaneſcit, nec
p. 135. malam cicatricem relinquit. Poſt haec mercurium
ad-

adhibere commendabile eſt, quem reiiciendum putes, ſi humor effluens ſit tenuis, copioſus, et ſanioſus. Tunc aegro victu nutriente, cortice ac aëre puro ſuccurrere licet. Abſceſſus iniectione ex aqua vitriolica camphorata vel decocto corticis purificatur. p. 136.

Cap. 11. De lue venerea. Signa eius ſeſe produnt oculis, auribus, naribus, ore ac faucibus, genitalibus, cute ac oſſibus, neque dirus iſte morbus ſine mercurio domari facile poteſt. Curatio requirit purgantem medicinam, deinde balneum calidum ex furfuribus, quocum lenior frictio iungitur, denique, vbi e balneo aeger exit, poculum vini. Praeparatio fere ſuperuacua eſt. Frictio ſi reſpuitur, commendanda videtur ſolutio gummoſa *Plenkii* vel pulv. merc. cinerei Pharm. Edinb. Mala eius ſymptomata minuit quies ab medicina per aliquot dies, ſopit vero opium. Sic lues fere intra 25-30 dies vincitur, at vero inueterata cum carie oſſium copulata intra 10-12 hebdomadas. Tempus perfectae ſanationis definitu arduum eſt, ideoque continuandus aliquamdiu mercurius. p. 139. p. 140. p. 144. p. 145.

Cap. 12. De remediis mercurialibus generatim. In tabula veluti exprimuntur, ita tamen, ut Noſter mercurium ſublimatum appellet hydrargyrum muriatum fortius, calomela hydrargyrum muriatum mitius, merc. praecipitatum rubrum, hydrargyrum nitratum rubrum. p. 153.

Cap. 13. De remediis mercurialibus ſpeciatim. In hac notatione vbique videas virum expertum, qui, quicquid vſus docuerat, candide profitetur. Orditur vero Noſter 1. *Ab frictione.* Mercurio puro, cuius notas ſuppeditat, opus eſt, ſi vere prodeſſe debeat. Quinquaginta vel ſeptuaginta frictiones rem omnem abſoluunt. Sequuntur 2. *Suffumigatio.* In deſuetudinem abiit, (Roſſis adhuc in amoribus eſt.) 3. *Praeparationes ſalinae mercurii.* Memorantur hydrargyrum gummoſum *Plenckii.* Hydrargyrum calcinatum p. 164. p. 173. p. 176.

et

et acetatum male vexat inteſtina; magis iuuat hydr. tartariſatum et tart. hydrargyratus, et ad cancrum valet hydr. nitratum, indeque factum vnguent. citrinum ad morbos cutis venereos efficaciſſimum. Hydr. nitratum cinereum Pharm. Edinb. Mitiſſimum eſſe optimum, mane et veſperi grani j. magnitudine; *Belleti* ſyrupus vegetabilis eſt mercurius praecipitatus, aethere vitrioli ſolutus et cum ſyrupo gratiori miſtus. Mixtura SWIETENII vtilis eſt ad morbum grauiorem, ſi quando corpora firma male habet. Calomel, ex
p. 185. SCHEELII methodo praeparatum, Noſter purgandi ſcopo commendat. Turpethum minerale, minori doſi datum, ſaepenumero profuit in exanthematis venereis. Pilulae PLUMMERI inutiles in lue domanda ſunt, et praeter mitigationem ſymptomatum nihil
p. 190. commodi adferunt. 4. *De ptyaliſmo.* Proprio vſu edoctus diſſuadet Noſter ſaliuae fluorem, vtpote vanum et noxium. Nam quo diutius continuat, eo minus iuuat, ergo nequaquam adhibendus eſt.

p. 198. *Cap. 14. De cauſis, cur quidam morbi venerei nequaquam cedant mercurio.* Sunt vero illae ex fide et obſeruatione Noſtri mercurius diuerſe praeparatus, methodus ſumendi et applicandi, vires aegri maiores minoresue, vel in victu commiſſi errores, denique ipſa morbi natura.

p. 206. *Cap. 15. De quibusdam aliis remediis lui domandae, vt creditur, aptis.* Americani laudant radicem Lobeliae ſiphyliticae; addunt, ſi rebelle malum eſt, paullulum rad. ranunculi abortiui, vlceri opponunt puluerem inſperſorium ex geo riuali. Luſitani extollunt decoctum Luſitanicum. Dubitat, tamen Noſter an ſine mercurio noſtris in regionibus aliquid effici poſſit.

p. 210. *Cap. 16. De quibusdam morbis venereis, ſingulorem medendi rationem deſiderantibus.* Sunt ex hoc genere: 1. *Ophthalmia venerea.* Auctor Noſter laudat purgationem alui, et mercurium, externe vnguentum citrinum, immo vero aliquot guttas Laudani

oculo

oculo inſtillandas. 2. *Surditas venerea.* Vidit talem Noſter a gonorrhoea temere terebinthina ſiſti coepta. 3. *Fiſtulae venereae.* Variis obſeruationibus id confirmatur. 4. *Venerea exanthemata.* Profuit balneum ex furfuribus, cui admiſcetur ſublimati 3β. et vnguentum citrinum, interne turpethum minerale, ſed parua doſi ſumtum. 5. *Excreſcentiae venereae.* Cauſtica tantum non ſemper nocent, laudabilis tamen aqua cauſt. pro condylomatibus *Plenck*, ſi bis terue ſingulis diebus ſuperhabetur. 6. *Impotentia venerea.* Ei pellendae aptus eſt mercurius, cum roborantibus copulatus, et liquoris anod. *Hofm.* cochlear minutulum mane ac veſperi. Isque et extrinſecus ex aqua tenuatus, ſcroto atque funiculo ſpermatico ſuperimpoſitus. 7. *Dolores, ſpaſmi* cet. *venerei.* Bene diſtinguendi ii ſunt, qui venereae proſapiae ſunt. Saepe iuuant victus exquiſitus, balnea calida, medicamenta tonica vel antimonialia, et ſi transſpirationem ſub mercurii vſu ſuppreſſam ſecuti ſunt, grauiſſimum malum alleuant balnea calida, inprimis vaporoſa, ſulphur antimonii aurat. et cum extr. cicut. copulatum. 8. *Morbi oſſium venerei.* Rarius laeduntur oſſa, niſi ſub neglecta vel mala luis curatione. p. 223.

Cap. 17. De morbis venereis laruatis, v. c. tabe, rheumatiſmo, febribus cet. Febres hecticae, morbi venerei ſoboles, omnium optime mercurio ſubiguntur; Rheumatiſmus et iſchias requirunt balnea calida, medicamenta mercurialia mediae materiae, et decoctum rad. dulcamarae, ſiue, vt aliis viſum eſt, flor. daphnes mezeraei ſ. daphn. laureol. vna cum mercurio. p. 226.

Cap. 18. De morbis veneris mercurio non cedentibus. Omnis medici cura eo dirigenda eſt, vt, vtrum iſta vitia labi venereae debeantur, nec ne, mercurio ſumto, ſatis pateat. Hic magno iudicio opus eſt. In caſu non venereo laudat Noſter antimonium crudum, ſulphur antimonii auratum, aethiopem mineralem, vel vinum martis, inprimis miſturam ex marte et aethere p. 229.

vi-

vitrioli. Quibus, ſi opus videatur, ſuperadditur decoctio rad. ſaſſaparillae, corticis rel. item balneum ex frigida vel marina. Interdum mire profuit decoctum Luſitanicum, ſed omnium maxime decoctum D. PAULLINI, quippe quod breui pertinaciſſima vlcera, exanthemata et cariem perſanauit. Sed arcanum eſt.

Cap. 19. Obſeruationes de quibusdam praeſidiis.

p. 231. Vere ac ſolide demonſtrauit Noſter, male ſibi conſulere, qui, ſi ſemel mercurio ſanati ſint, eum nunquam niſi cum morte dimitti credunt, eamque ob rem lymphatico metu excruciantur. Magiſtratus ergo eſt prouidere, ne quis morbum contagione receptum curet mulieris ſanae congreſſu perdendum, ideoque reipublicae damni plurimum inferat.

Hactenus Noſter. Qui quam bene in explicanda morbi venerei natura et curatione verſatus ſit, hoc tractatu praeclare demonſtrauit.

XXVIII.

SAL. THEOPH. DE MEZA Med. Doct. Poliatr. Hafnienſis Compendium medicum practicum per faſciculos diſtributum. Vol. I. tres faſciculos, ſc. I. De febribus. II. De inflammationibus et doloribus. III. De debilitatibus et hallucinationibus continens. Hafniae ap. Chriſt. Gottl. Proft Bibliopol. Vniuerſitat. 1780. 8. Vol. II. tres faſcicul. alteros, ſc. IV. De fluxibus. V. De morbis conuulſiuis. VI. De morbis cachecticis continens. 1781. Vol. III. tres vltimos faſciculos, ſc. VII. De tumoribus et vlceribus. VIII. De vulneribus. IX. De venenis continens. 1783.

Auſus eſt Cl. MEZA, ſenex medicus, miſſis factis, quae demum cuique ratione et magiſtrorum oratione

tione continentur, compendium practicum ſcribere, cui deeſſent *diſquiſitio ſubtilis, hypotheſis vana, ſpeculatio incerta dubiaue in theoriis cauſarum proximarum et remotarum, in ſymptomatum explicationibus et in indagando modum remediorum operandorum* (v. Praefat.); ineſſent vero omnino, quae vſus et experientia tot annorum docuerat. Praeclarum facinus ſcilicet! Multa tamen deprehendent lectores, quae minus bene ac recte dixiſſe vel obſeruaſſe Cl. auctor videatur; multa, in quibus idoneam materiae viriumque cognitionem, ordinem lucidum, orationem puram et terſam, remediorum delectum et boni ſcriptoris artem deſideres. Sed videamus de ſingulis.

Faſc. I. De febribus. Agit vir Cl. de febribus in genere, de febre ephemera, de febribus intermittentibus, anomalis, remittentibus perniciosis et laruatis, de ſynocha putrida, febre maligna petechiali, de catarrhali benigna et maligna, de peſte, eiusque cura prophylactica, de febre lenta et neruoſa, item lenta chronica ſ. hectica, de aphthis; deinde de emeticis exhibendis in acutis, de febre ardente inflammatoria et potu frigido, poſt de febre eryſipelacea et vrticata, ſcarlatina, miliari et purpura, morbillis et variolis, de prophylaxi variolarum et inſitione, de febre puerperarum; tandem de linteaminum et induſiorum mutatione, de limitando veſicantium vſu in acutis, de aegrotantium et conualeſcentium diaeta, de morborum criſi et ſignis prognoſticis. Sub finem ſubiiciuntur *formulae*, non ſemper recte ac concinne ſcriptae. p. 1. p. 45. p. 55. p. 92. p. 127.

Pauca ſunt, quae Noſtro propria eſſe putes. Cauſam proximam febrium occultam ſtatuit, eſſentialem motu progreſſiuo et inteſtino contineri; Tremores quotidianos ſine frigore ac calore perſanauit cortice; Poſt febrem tertianam intermittentem temere ſuppreſſam maniam et icterum, nec non coecitatem abſolutam vidit; diuretica damnat, corticem laudat. Febrem putridam repetit a quadam acrimonia, ſanguini- p. 4. p. 11. p. 13. p. 16. p. 21.

p. 22. guinis corruptionem inducente, et motus criticos fieri
p. 23. ait a ſeptimo die, ſed alternis diebus; Sinapiſmos in
p. 25. delirio phrenetico praeferendos; Peticulae non ſunt
ſemper ſanguinis reſoluti ſoboles, neque ferunt ni-
p. 27. trum. Febrem ardentem et inflammatoriam eandem
p. 47. putat. Potum frigidum minus in principio et fine
p. 54. morbi, magis in ſtatu conducere, et cauſſam febris
p. 56. eryſipelaceae poſitam in ſero acri bilioſo, auctor eſt.
p. 72. Vidit Noſter variolas ſecundas, et ab vno varioloſo
p. 83. contagio naſci poſſe omnia variolarum genera contendit, et exſtirpationem praeſentiſſimum remedium pro-
p. 91. phylacticum eſſe cenſet. Sedem febris puerperarum
p. 98. cum *Hulmio* in abdomine purulento ponit. Veſicantia maximam partem in febribus acutis reiicit, praeter malignam, cum eruptione copulatam, putridam
p. 114. et neruoſam, et affectus ſoporoſos. De *ſigniſ* et *ſignis prognoſticis* pauca, eaque manca, nec ſatis limata, Noſter in medium attulit.

Faſc. II. Inflammationes et dolores ſiſtens. Praemia praefatione, in qua plurimae veterum et recentiorum medicorum theoriae explicantur more ſolito, i. e. imperfecte, percenſet Noſter primum potiores
p. 1. inflammationum formas, puta phrenitidem (?), ophthalmiam, anginam, peripneumoniam, pleuritidem, paraphrenitidem, gaſtritidem, enteritidem et ileum, hepatitidem, ſplenitidem, nephritidem, cyſtitidem et
p. 41. metritidem; deinde ſubiicit quaedam de venaeſectione, quam impenſius commendat, de veſicantibus,
p. 46. quae etſi proficua, tamen tibiis, quam parti affectae,
p. 48. aptiora exiſtimat; poſt narrat ſuppurationem, empyema, vomicam pulmonum, ſed nimis ieiune, cum ne ſcitu vtilia et neceſſaria quidem adſcripſerit, et tuſ-
p. 54. ſim, phthiſin et pulmonalem, et neruoſam, et atrophiam infantum, aſthma eiusque ſpeciem incubum, addenda cenſuerit. (quam bene, viderint alii.)
p. 80. Inde a cap. 26 *dolorem* explicat, eoque refert
p. 86. cephalalgiam, otalgiam, odontalgiam, (ſubdita iterum

rum dentitione difficili) pleurodynian, cardialgiam, colicam, a qua ventris tormina diſtinguit, choleram, dyſenteriam, cuius cauſſam eſſe acrimoniam cauſticam putridamque bilis Noſter putat, proctalgiam, lithiaſin, ſtranguriam et dyſuriam, (non omiſſis ſcilicet partu difficili et torminibus poſt partum, quae quidem, ſi quid videmus, inter morbos referenda non ſunt) arthritidem et podagram, iſchiadem et rheumatiſmum; Sed verendum eſt, ne tironibus ſatis ſit, quicquid hic legitur. Veterani enim nuſpiam inuenient incognitum quid vel inauditum. Formulae finiunt hancce partem. p. 114. p. 149.

Faſcic. III. Debilitates et hallucinationes ſiſtens. Hic iterum expers ordinis Noſter quaedam adfert, quae nemo prudens ibidem quaereret. Tale eſt *cap.* 5. *de comate vigili, pervigilio, et cap.* 10. *De delirio*, vtpote quae ſymptomata morboſa ſunt, non morborum genera; *cap.* 8. *et* 9. *De hyſterica paſſione et hypochondriaca affectione*, quia ad ſpaſmorum familiam proprie pertinent; *cap.* 13. *De daemonomania*, quam hodie vix quiſquam medicorum pro morbo habet eo ſenſu, quo Noſter, i. e. obſeſſionem diaboli; *cap.* 15. *De ſomnambuliſmo*, quem ſterili modo pertractauit; *cap.* 16. *De tarantiſmo*, quippe aegritudine ficta, non vera; *cap.* 17. *De hydrophobia*, quae in acutis morbis ponenda videtur; *cap.* 26. *De aquis mineralibus*, quae male ſuum locum occupant, et ſatis oſtendunt, Noſtrum fere ignorare, qui harum aquarum vſus ſit; Vt taceamus reliqua capita, in quibus medicum expertum vbique deſideres et requiras, et formulas ſimiliter malas. Mirari ergo deſinant lectores, ſi quando in ſequenti volumine ſecundo et tertio Noſtrum eadem lyra oberrantem intelligant. Agitur enim p. 16. p. 38. p. 31. p. 49. p. 53. p. 55. p. 56.

Vol. II. Faſc. IV. De fluxibus, hucque refertur *plethora* (haec vero fere cauſſa eſt, non morbus), p. 1.

p. 12. haemorrhagia narium, haemoptoe, vomitus cruentus, fluxus hepaticus, haemorrhoides, mictus cruentus, et aliquot capitibus male interpoſitis, menſes ni-
p. 34. mii et haemorrhagia vteri. Nequaquam tamen hoc
p. 28. in loco reponenda erat *obſtructio menſium, chloroſis et retentio lochiorum*, quippe contraria fluori, et dubia
p. 36. putanda *abortio et mola.* Sequuntur *profluuia ſeroſa*,
p. 43. puta *vomitus*, *diarrhoea*, *epiphora*, *coryza*, *otorrhoea*,
p. 77. *ptyaliſmus*, *diabetes*, *enureſis*, *gonorrhoea et leucorrhoea*, quae quidem hoc nomine digna ſunt, etſi non
p. 47. ſatis bene explicata, at vero male ſub ſe comprehen-
p. 68. dunt *alui conſtipationem* et *iſchuriam.* Multo minus
p. 71. in morborum narratione quaeras *vroſcopiam*, quam
p. 85. Noſter male adſuere voluit, *ephidroſin*, cum ſit ſym-
p. 89. ptoma, et *fonticulos*, qui arti debentur, non naturae.

p. 1. *Faſc. V. Morbos conuulſiuos* complectitur, ſed ſe-
p. 8. rilis ager eſt. Nam praeter *ſpaſmum* et *conuulſionem*,
p. 11. memorat Noſter *conuulſionem cerealem*, *choream ſ. Viti*,
p. 30. *epilepſiam*, *catalepſin*, *tetanum*, faciei ſpaſmos, *triſmum*, *ſpaſmum cynicum*, quem cum riſu ſardonio male confundit, *nyſtagmum*, *obſtipationem* et *ſternutationem*,
p. 37. item *palpitationem cordis*, *tremorem et angorem*,
p. 41. *ſingultum et oſcedinem*, *priapiſmum*, *tremorem* et *cor-*
p. 44. *phologiam*, quam equidem expungerem, cum debi-
p. 47. litatem ſequatur in morbis, malo cum omine, *con-*
p. 51. *tracturam* et *claudicationem*, quae quomodo huc per-
p. 53. tineat, non liquet, tandem *vermes*, quatenus ſpaſmos foedos et intolerabiles concitant. Verſatur

p. 1. *Faſcic. VI. In morbis cachecticis*, facto initio a
p. 1. *polyſarcia*, quam magis cauſſam praediſponentem ap-
p. 5. pellare licet cachexiae, quam cachexiam ipſam. Sequitur *cachexia*, ſub qua, tanquam genere, compre-
p. 8. henduntur *ſcorbutus*, quem ita deſcripſit Noſter, vt ducem EVGALENVM, non LINDIVM, ſecutus eſſe
p. 14. videatur; *icterus*, quem rhabarbaro debellare ſuadet;
p. 18. *hydrops*, cui ſubiecit *anaſarcam* et *leucophlegmatiam*, *aſciten* et *tympaniten*, quem rarum Hafniae morbum eſſe,

eſſe, et oriri ait a paralyſi neruorum meſentericorum, indeque facta atonia inſuperabili, *hydropem vteri et ouarii*, *hydrocelen*, *hydrothoracem* et *hydrocephalum*; p. 41. *rachitis*, quam negat deberi miaſmati venereo, ſed ſponte acquiri, et ſalibus vegetabilibus optime curari contendit; *ſcrophulae et ſtrumae*, quas lymphae viſci- p. 44. dae acidaeue attribuit, ſed nuper dicta remedia ignorat; *ſcirrhus* et *cancer*, a quo contagii ſuſpicionem p. 47. amouet, internum inſanabilem, externum enſe recidendum iubet, medicamenta ex auctorum fide refert; *gangraena et ſphacelus*, *alopecia*, quam oleo abſinthii p. 52. cocto domari vult, et *plica polonica*, quam ab ſingu- p. 56. lari cacochymia, (forte labe venerea et ſcorbutica) dimanare ſibi perſuaſum habet, et curationis viam mancam ſubdit; *elephantiaſis* et *lepra*, (de his non, p. 58. niſi ex auctoritate aliorum) *ſcabies*, quam Noſter ab p. 61. miaſmate ſpecifico, forte acido, repetit, (ſed ſaepenu- p. 64. mero rebellem morbum iugulat ol. vitrioli ex aqua miſtum) et pilulis mercurialibus multum confidit; *tinea*, quam, ſi os foedat, cruſtam lacteam dici autu- p. 67. mat; item ad ſeptimum vſque annum efflorescere, (ſed cui ignota eſt tinea adultorum?) et proſapiae acidae eſſe ſtatuit, ſolis purgantibus mercurialibus ſubigendam *impetigo* et *herpes*, quem Noſter ſuſtulit ve- p. 69. ſicante locali, interne mixturam Swietenianam laudat; *lues venerea*, quam copioſius explicat, etſi non p. 71. deſunt, in quibus aliter ſentias, reiectis praeſidiis prophylacticis, quae nouaturiendi ſtudium vel auri ſacra fames adhuc ſuaſit, et, praefiſcine dixerim! in poſterum veneris vulgiuagae nepotulis ſuadebit. Formu- p. 91. lae ſubnectuntur, ſibi ſemper ſimiles.

Finit *Vol. III.* conſtans tribus faſciculis, ſed velu- Vol. III. ti lenta tabe conſumtis. Inſcribitur enim *Faſc. VII. De tumoribus et vlceribus*, et agitur de *phlegmone et* p. 1. *abſceſſu*, *fiſtula ani* et *lacrymali*, *mammarum inflammatione* (hic more ſuo Noſter agit ſeorſum de *lactatione*

p. 71. et *nutricis delectu*) *ganglio*, *polypo* cet. Pauca *de ul-*
p. 76. *ceribus*, inprimis *ozaena*, habet, et *appendicis* loco quaedam adfert de *pemphygo*, *eſſera*, *zona*, *guttae-ſacea* et *erythemate*, in quibus repetiiſſe videtur chirurgiae praecepta nota.

p. 1. Idem ſentiendum putamus de *Faſcic. VIII. De vulneribus*. Nam in hoc numero collocauit, praeter quaedam vulnerum genera, ſcarificationem, phlebotomiam, partum caeſareum et embryotomiam, et, ne a veteri conſuetudine prorſum deflecteret, dedit lecto-
p. 46. ri quosdam omiſſos morbos, *ſtymatoſin*, *raucedinem* et
p. 48. *morbos a transſpiratione ſuppreſſos*.

p. 1. Denique *Faſcic. IX. De venenis* ſequitur. In
p. 7. quo Noſter poſt *aërem venenatum* explicat *animalia venе-*
p. 12. *nata*, *venena vegetabilia*, quae ipſe expertus eſſe non
p. 19. videtur, *mineralia*, item *acida*, quibus curandi viam
p. 41. ſubiicit, ſed vagam et mancam, hinc inde verſiculis
p. 56. interſtinctam. Abeſſe etiam poterat *cap. 11. de iudicio*
p. 68. *circa veneno defunctos*; Nihil enim vtilitatis exinde in tirones redundabit. Coronidis loco, ni fallimur,
p. 70. additum eſt *cap. 12. de idioſyncraſia*, in quo mera exempla memorantur, nihil de cauſſa, vnde mira illa vis corporis proficiſci videatur.

XXIX.

Selecta doctorum virorum opuſcula, in quibus Hippocrates explicatur, denuo edita, curauit ERN. GODOF. BALDINGER. Gott. ſumtibus D. Fr. Kübleri 1782. 8. pagg. 351.

Cl. Editor per quinque luſtra in colligendis ſcriptis atque opuſculis, quae ad medicinam Hippocraticam pertinent, multus paeneque totus fuit, atque adeo eam tanquam veram et genuinam ſuis diſcipulis ex cathedra commendauit, atque declarauit, ſine hac medicina ne vllum quidem eruditi et genuini medici nomen

men promereri poſſe. Vt autem eo plures ad hanc medicinam, manu diurna tractandam nocturnaque, allicerentur, traherenturque, conſilium ex bibliotheca ſua, ſelecta opuſcula doctorum virorum, quae potiſſimum ad medicinam practicam ſpectant, ſeorſim edere coepit, atque oblectationem illam et vtilitatem maximam, quam ex eorum lectione hauſit, cum aliis quoque voluit communicare. Tria autem volumina exercebunt prela, quorum alterum iam ad manus eſt, alterum continebit quae reſtant ſelectiora ſcripta, Hippocratem illuſtrantia, et vltimum, quae ad Aretaeum Galenumque pertinent, proponet. Critica vero et philologica ſcripta alii tempori reſeruanda eſſe cenſuit.

In hoc vero volumine 12 opuſcula continentur, de quibus ſeorſim pauca, iudicio noſtro interpoſito, ſunt dicenda.

I. FRID. HOFFMANNI *diſſ. de morbo nigro Hippocratis, Hal.* 1701. Cuius quidem deſcriptio exſtat apud Hipp. de morb. L. 2. ſ. 5. p. 45. eumque cum vomitu melancholico ſ. vomitu atrae bilis conuenire exiſtimat, materiamque eiectam fuiſſe ſanguinem feculentum corruptum, et ob admixtionem acidi in ventriculi ſinu et inteſtinorum cauitate, aterrimum factum. p. 5.
Atque hypochondriacos hoc infeſtari affectu arbitratur, cuius origo et ſedes in liene quaerenda eſt, vnde per vaſa breuia et per mutuas anaſtomoſes cum vaſis ventriculi gaſtricis et epiploicis ſanguis corruptus in ventriculum effunditur; et quia tunc ſanguis ſtagnat circa inteſtinum colon et per eius vaſa eiicitur, ratio reddi poteſt de colicorum dolorum atrocitate. Quare recte concluditur, familiarem eſſe hypochondriacis hunc morbum, penes quos haemorrhoides ſuppreſſae aut imminutae ſunt. Eadem ratio eſt apud feminas hyſtericas defectu vel imminutione menſium laborantes. p. 11.
Accedit ad ſymptomata grauia, viſcerum ſtrepitum, pectoris et dorſi punctionem, laterum capitisque dolorem, crurum laſſitudinem, viſus imminutionem,

p. 12. et atrum corporis colorem. Illum autem morbum, quamquam non ſtatim interficiat, chronica et obſti-
p. 13. nata mala relinquere docet, inter quae aſcites princi-
p. 13. pem occupat locum, quod obſeruationibus declaratur. Interdum tamen hic morbus nigra per feces eiiciendo
p. 15. fuit ſalutaris habitus. Differre eum a vomitione ſan-
p. 16. guinis puri, a dyſenteria, ab haemorrhoidibus, ab
p. 18. excretione per aluum nigra, ab laeſione et ruptura
p. 19. vaſorum ſanguiferorum per contuſionem facta, quae haud nigras cruentaſque deiectiones producit, et tan-
p. 20. dem a fluxu hepatico. Signa autem deprehenduntur haec, inflatio hypochondrii ſiniſtri, anxietas et angu-
ſtia praecordiorum, alui adſtrictio, menſium et hae-
morrhoidum ſuppreſſio, vomitio nigra cum ſucco acido et bilioſo, nigra alui deiectio, virium proſtratio,
p. 21. cardialgia, ſyncope. Medela vero duplex huic opponenda in paroxyſmo per blandam diaphoreſin et re-
p. 22. media antiſpaſmodica, extra paroxyſmum obſtructiones reſerandae ſunt, per acidulas Schwalbacenſes, pillulas balſamicas ex amaris extractis, gummatibus balſamicis, limatura Martis, extractione rhabarbari,
p. 23. etiam vena ſecanda. Ab opiatis et adſtringentibus fortioribus penitus abſtinendum.

p. 24. II. THEOB. MATTH. GASSER, *de morbo nigro Hippocr. Arg.* 1761. A. Cl. perparum differt ab antecedente in deſcriptione ex Hippocrate hauſta et in
ſignis; eum ad haemorrhagias refert internas, con-
p. 28. venientiam ipſius cum vomitu cruento declarat et differentias ratione aliorum morborum, ſed et inter ſe;
p. 30. proximam cauſam, praediſponentes, occaſionales,
p. 33. commemorat, neque neglexit ſymptomata, progno-
p. 35. ſin et curam, atque regulas diaeteticas, durante mor-
p. 38. bo, et in ſtatu reconualeſcentiae obſeruandas, prae-
p. 41. ſcribit.

III.

III. TOB. IOH. IOS. SCHONINGH *de morbo nigro Hipp. Gron.* 1768. In quinque capita vniuerſam diuiſit tractationem: 1) agit de materia peccante, ſeu atra bile, quo capite egregie dicta a veteribus de atra bile commemorantur, quae non ſine deliciis legimus; illam autem atram bilem mero pro figmento habet, et recentiorum de ea oracula profert, et diſquirit, vnde humor atrabiliarius oriatur, et eius naturam inueſtigare tentat. 2) de morbi deſcriptione, eius definitione et cauſis in genere, vbi proximas, remotas, praediſponentes atque occaſionales commemorat, quas adeo multiplicat, vt eas ſigillatim recenſere nequeamus, quamquam affirmemus in vniuerſum, omnes pro diuerſitate naturarum in quibusdam ſeparatim adeſſe poſſe. 3) de diagnoſi et effectibus, quos morbus niger in corpore producit, in quibus recenſendis probe verſatum medicum prodidit. 4) de conſtituente morbi nigri prognoſi; ad intricatos morbos eum refert, et ex variis ſymptomatis etiam variam fieri prognoſin recte monet, in qua quidem re ſexus quoque diuerſitas in cenſum venit. 5) de morbi nigri cura et diaeta, quomodo verſari praeceperit Hippocrates, deinde quae in paroxyſmo et poſt eum medela ſit vtenda innuit, ex quibus ſimul ſumtis cognouimus hanc diſſertationem curatiori ſtudio eſſe conſcriptam. p. 42. p. 44. p. 48. p. 51. p. 55. p. 61. p. 97. p. 119. p. 123.

IV. GE. WOLFG. WEDELII *progr. de morbo craſſo Hipp. Ien.* 1688. Magnam doctrinae copiam libellus hic exiguus prodit, atque locum Hippocratis Epid. L. II. c. 6. n. 15 belle illuſtrat, vbi ilei ſanguinei fit mentio, quem pro ſcorbuto venditat, ingentes dolores in imo ventre atque inteſtinis excitante. Hos morbos craſſos nominat ab effectibus, id eſt morbos tartareos, in ſpecie tormina colicorum aemula, ſeu colicam ipſam ſcorbuticam. Duplici autem modo dicuntur craſſi, tum a materia et motu humorum, a concremento tartareo, tum a more rebelli et immorigero, p. 137.

rigero, quia morbus ſit difficilis. Singula deinde ambitum morbi pertinentia diſtincte ex ipſo Hippocrate proponuntur.

p. 142. V. ANDR. OTTOMAR GOELICKE *de morbo ventuoſo Hipp. Frcf. ad Viadr.* 1738. Aegritudinem illam, quam alii flatulentam appellitant, ab Hipp. de morbis L. II. deſcriptam indicat, recitatis ideo verbis
p. 147. Coi ſenis ipſam ſuppeditat deſcriptionem morbi, atque addit ſub ructu, flatus ſeu crepitus cum ſonitu vehementiſſimo ſine leuamine emitti. Alii quoque praeci-
p. 151. ci huius morbi fecerunt mentionem. Conuenientia huic malo eſt cum ventriculi inflatione, eructatione et flatulentia, ſed etiam diſcrepantia, quae vberius
p. 154. exponit. A. Cl. dein in cauſas inquirit, quae varias
p. 159. eſſe deprehenduntur, tandem prognoſin et rationem
p. 167. medendi ſuppeditat, et vltimo loco de diaeta praecipit.

p. 169. VI. GE. ERN. STAHL *de febre lethifera Hippocratis. Hal.* 1711. Febris illa lethifera, πυρετὸς θανάσιμος dicta, L. 2. de morbis deſcribitur, eique omnia ſigna
p. 172. et ſymptomata febris competunt. Veſtigiis Hippocratis preſſe inſiſtendo, omnia ſymptomata et circumſtantias hanc febrim comitantes explicando, ex ſingulis verbis veram naturam eruit, atque, quomodo con-
p. 195. ſulendum aut auxiliandum ſit, declarat. His vero non contentus e ſua theoria ac praxi ea adiecit, quae huic morbo conſentanea ſunt.

p. 215. VII. GE. WOLFG. WEDEL *progr. de morbo phoniceo Hippocr. An.* 1702. Faciem morbi vno tantum in loco praedict. L. 2. c. 49. p. 522 depingit Hippocrates: *fiunt autem leucae quidem ex lethaliſſimis morbis, qualis eſt morbus Phoenicus appellatus; lepras ve-*
p. 216. *ro et impetiginesex melancholicis.* Ex Galeni exegeſi nominis reddit rationem Noſter, phoeniceum appellari morbum, qui in Phoenicia aliisque orientalibus regio-

gionibus frequens ſit, et videri quoque elephantiaſin ſignificari; ſed etiam addit, a colore ita dici elephantiaſin, quem ſuſpicari poſſe. Quia vero rubor non proprius eſt et eſſentialis huic morbo, neque probari poſſit ex vllo auctore, Phoenicibus eum eſſe endemium, alio modo explicandum Hippocratem cenſet. Elephantiaſeos nomen quum non occurrat apud Hippocratem, illud ſimul ſub λέπραις comprehendi credit, ἐξανθήματα autem innuere petechias et purpuras, purpuram autem duplicem eſſe, albam et rubram, et petechias a purpura colore, planitie et aequalitate diſtinctas eſſe aliis probat locis Hippocratis, et de phoeniceo colore ex Dioſcoride diſſerit. p. 219. p. 220. p. 221.

VIII. ABR. VATER *de lienis prolapſione ad illuſtr. vexatum Hipp. Epid. L. 6. ſ. 2. aphor. 30 locum. Vitemb.* 1746. Rariſſimum illum morbum accurate deſcribit et ſ. I. obſervationis ſuae dilucidationem ſiſtit. Hanc autem prolapſionem lienis eſſe praeter naturam huius viſceris conditionem, qua id in magnam auctum molem, atque tum ſuo pondere, tum adiacentium partium preſſione laxatis ligamentis, loco ſituue, quem natura ipſi aſſignauit, motum, inferiora abdominis occupat loca. Sedem morbi explicando ſimul A. Cl. ex lienis ſtructura, eius cum aliis viſceribus nexu, et tandem ex eius vſu lucem huic morbo accendere ſtuduit; praeterea ad modum, quo lienis prolapſio fieri potuit, progreſſus eſt, et ad omnium phaenomenorum explicationem, tandem de acerbiſſimi huius mali euentu ac cura diſſeruit. Sect. II. obſeruationem Hippocraticam illuſtrauit, atque obſcurum illum locum clariorem ſua interpretatione reddidit. p. 223. p. 226. p. 233. p. 241. p. 243.

IX. GE. FR. SIGWART, *fragmenta dynamices, Hippocratico-Galenicae ſparſis monumentis prodita. Tubing.* 1759. Primo tractat Cl. A. *fragmenta medi-* p. 250.

cinae dynamicae ad ipſius praecognoſcenda ſpecimina. Illa autem medicina docet morboſe affectas vires, maxime humanas, pſychicas, organicasque menſurare, eaque non ſolum mathematica eſt, ſed et philoſophi-
p. 251. ca, circa qualitates virium naturales et praeternaturales occupata, illae autem non niſi ex effectibus cognoſcuntur, ex quibus ad cauſam progredimur. Quum autem ex effectuum qualitate pendeat qualitas virium, ſic quoque ex quantitate harum colligitur quantitas.
p. 255. Varia autem fragmenta proponit medicinae dynamicae, quae in ordinem aliquem ſunt redacta. Sic primo loco recenſet *fragmenta medicinae dynamicae pathologica*, quae denuo in ſuas diuiduntur ſpecies; ſunt
p. 268. enim *noſologica*, *aetiologica*, *ſymptomatologica*, et *ſemiologica*: ſecundo *fragmenta medicinae dynamicae ad materiam medicam pertinentia* recenſet, atque inter veteres pariter ac recentiores ſcriptores laudat, qui de viribus medicamentorum in vniuerſum et in ſpecie
p. 271. praeceperunt. Tandem *fragmenta medicinae dynamicae therapeutica* addit, cuius vſus eſt in miniſterio naturae praeſtando afflictae, in dirigenda natura, et in pharmacorum viribus ex naturae legibus aeſtimandis. Loca ex Hippocrate laudata non ſolum ſatis ſuperque rem propoſitam explicant, ſed etiam ex recentioribus medicis multa prolata ſunt hanc veritatem confirmantia.

p. 277. X. FRID. GOTTLOB JACOBI *philoſophiae Hippocraticae ſpecimen. Lipſ.* 1747. Luculentiſſima philoſophiae in ſcriptis Hippocratis inueniuntur veſtigia, vt non niſi ineptiſſimus atque ſtultiſſimus de iis dubitare poſſit. Nam medicina ab Hippocrate inſtaurata docet eum fuiſſe philoſophum; ille enim empiricam et hiſtoriis obſeruationibusque ſuperſtructam in formam redegit artis, et vt logicum in ratiocinando, medendo, obſeruando ſe praeſtitit medicum, quid quod et
p. 282. medicum, philoſophum claris verbis eſſe iubet. Verum

rum enim vero contraria his videntur Celſi Praef. L. I. verba, dicentis, Hippocratem a ſtudio ſapientiae diſciplinam ſalutarem ſeparauiſſe. Sed ſalua eſt res, diſtinguebat tantum has diſciplinas, vt ſeorſim eam colendo incrementa artis promoueret, ea adhibendo, quae medicis ſcitu ſunt neceſſaria, reliqua, quae nec corporis humani cognitionem, nec ſanitatis perditae reſtitutionem adiuuare poterant, ad philoſophos delegabat. Statum philoſophiae tempore Hippocratis p. 285.
conſiderantes, intelligimus, pleroſque philoſophorum obſcuritate, qua philoſophiam inuoluebant, animos hominum ab ea tractanda auocaſſe, diuerſa poſuerunt principia, myſterioſa et ſymbolica docendi ratione arithmeticiſque argutiis alii eam obuoluebant, a quibus ſolus Herodicus eximendus eſſe videtur, cuius diſcipulus Gorgias Leontinus fuit, qui Hippocratem inſtituit, et qui eximie verſatus fuit in philoſophia.
Deinde agit de philoſophia Hippocratis in vniuerſum, p. 289.
laudat commentatores in philoſophiam Hippocratis.
Nonnulli tamen de philoſophia Hippocratis perpe- p. 292.
ram et peruerſe iudicant; quia difficiliores voces non
explicauerit, adeoque ab obſcuritatis crimine, v. c. in p. 294.
voce νόμος, non liberari poſſit. Sed expedire Hippo- p. 296.
cratem belle ſtuduit Cl. A. His addidit nonnullo-
rum de natura Hippocratis explicationes, et genuinam p. 299.
huius vocis ſuppeditauit interpretationem, quid ele-
menta ſint ex mente Coi tradidit, atque de corpo- p. 302.
rum ortu ex elementis eorumque interitu in vniuer-
ſum diſſeruit. p. 307.

XI. IOH. GUIL. ALBRECHT *progr. in locum Hippocratis male explicatum, Epidem. 6. Gōtting.* 1735. p. 313.
Locus ita ſonat: Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει. Hunc locum quidam ſic explicant, vt Hippocrates videatur haec duo defendere: Naturam cum intelligentia quadam, et ex proprio conſilio functiones naturales moderari et effice- p. 314.
re:

re: eandemque naturam nihil aliud esse, quam animam rationalem. Sed aliam potestatem subesse verbis Noster docuit; igitur locum sic refinxit antea mutilum: Ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίας, τὰ μὲν, οἷον τὸ σκαρδαμύσσειν, τὰ δὲ καὶ ἡ γλῶσσα ὑπουργέει, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει. Male applicata sunt verba ex illius sententia, et quidem non iniuria, *οὐκ ἐκ διανοίας non ex consilio alieno*, quum tamen *διάνοια* nunquam alienum esse possit, sed semper denotare debeat, consilium proprium, intelligentiam, cognitionem, intellectum, vnam scilicet ex animi affectionibus, quae media est inter *νόησιν* et *δόξαν*. Itaque secundum A. Cl. haec mens est Hippocratis, vt naturam, tanquam causam brutam, operari absque vlla cognitione eius, quod peragit, et sine vlla conscientia pronunciet. Et hoc verba sequentia docent, cum quibus istam operationem comparat. Hanc fieri dicit, vt *nictatio, et ea, quae lingua peragit:* quae vtiliter quidem, sed non aduertentibus exercentur.

p. 315.

p. 316. XII. GE. SEGERI *diss. de Hippocratis libri περὶ καρδίης ortu legitimo. Basil.* 1661. Plerique huncce libellum Hippocratis genuinis scriptis non esse adnumerandum contendunt, quia dogmata Hippocrate indigna contineat. Igitur c. 1. *rationes legitimationem impugnantes* recitat Cl. A. et auctores simul addit.

p. 319. Foesius siquidem contendit, non esse genuinum, quia neruorum originem et animae praecipuam facultatem in corde constituat. Marcianus, quia cor venarum principium statuit, quod Asclepiadum placitis aduersatur. Mercatus, quod cor musculum fortem dicat. Sed quia rationibus est pugnandum, eas Noster exami-

p. 320. nat, et quidem primam c. 2 *quia nec Galenus nec Erotianus eius mentionem fecerunt;* sed rarissima fuerunt tempore horum duumuirorum scripta, vt forte ad eorum non peruenerint manus. c. 3. alteram diluit:

p. 323. *nullam in libro περὶ καρ. de neruorum origine fieri mentionem,*

tionem, ſed illa verba, e quibus haec eliciuntur, potius de vaſorum ſanguiferorum agunt origine, et τόνος, ex quo omnis vis probandi ducitur, non neruum, ſed membranam, ſignificat. c. 4. *libellum* περὶ κ. *animae praecipuam facultatem in corde non conſtituere demonſtrat*, ſed mens et anima diſtingui debet; mens ſiquidem eſt, quod eminet in anima, et huius ſedes fuit controuerſa, ipſeque Hippocrates ſententiam de mentis in corde ſede reiecit. c. 5. declarat, *Aſclepiadarum placitis minime aduerſari, ſi cor venarum principium dicatur.* Sed huius ſententiae contrarium fuſius probatur. c. 6. *cor muſculum dicere Hippocrate vel quouis alio viro docto indignum minime eſſe* probat, et quidem docet, hanc doctrinam non eſſe alienam a doctrina Hippocratis, neque ſplendorem eruditionis in docto viro obnubilare. c. 7. *doctrinam de duplici potulentorum via, prout in libro* περὶ καρδ. *inuenitur, ſanam eſſe euincit.*

p. 325.
p. 333.
p. 337.
p. 346.

XXX.

Noua phyſico-medica.

Academia ſcientiarum, bonarum litterarum et artium *Lugdunenſis* in annum 1786 ſequentem quaeſtionem propoſuit:

Quaenam ſunt variae illae *Lichenum* ſpecies, quae vſu in arte medica aliisque artibus pollent? *(Quelles ſont les diverſes eſpèces de* Lichens, *dont on peut faire vſage en médécine et dans les arts?)* Auctores, qui ad hanc quaeſtionem reſpondebunt, proprietates illarum plantarum nouis obſeruationibus et experimentis definiant. Praemium eſt moneta aurea, 300 librarum pretio. Commentarii mittantur, via et legibus ſolitis, ante calendas Aprilis, anni MDCCLXXXVI. ad Cl. DE LA TOURETTE, qui Academiae eſt a ſecertis.

So-

Societas regia oeconomica Lugdunensis sequens problema proposuit: Inueniatur modus, quo calor conclauis, camino vel furno productus, ad tertiam partem augeatur, praeter quod maior ligni copia requiratur. *(trouver le moyen d' augmenter d' environ un tiers, au thermomètre de Reaumur la chaleur d'un appartément produite par une cheminée ou par un poële, en ne consommant que la même quantité de bois.)*

Praemium duplum, 600 librarum Gallicarum valore, optimo tractatui tribuetur. Commentarii anno MDCCLXXXV. ad societatem, legibus consuetis mittantur.

Academia scientiarum, artium et elegantiorum litterarum Diuionensis in annum MDCCLXXXVI. hanc quaestionem proposuit:

Definiatur differentia essentialis inter phlogiston et materiam caloris, eaque proprietatibus singulorum confirmetur: *(Determiner par leurs propriétés respectives, la difference essentielle du phlogistique et de la matiere de la chaleur.)*

Praemium est moneta aurea, 300 librarum Gallicarum pretio; commentarii mittantur ante calendas Aprilis anni 1786 ad Cl^um^ MARET, qui societati est a litteris.

Iam ab aliquo inde tempore legimus iussu ducis Florentiae societates, quae hactenus sub nomine academiae *florentinae*, *della crusca*, *degli apatisti* seiunctae erant, in unam coniunctas esse, quae nomen *academiae florentinae* etiam in posterum habebit. Data est eidem Magliaberana Bibliotheca, in cuius museo conventus celebrabuntur, sumtibus in vnum finem vnitis, maiores in vniuersam rem litterariam, tum etiam physicam, redundabunt fructus.

Mor-

Mortuo Cl° HAHN in academia Lugdunenſi Batavorum Cl. VOLTELEN Med. Doctor ſucceſſit, atque Profeſſor Medicinae ordinarius factus eſt.

Ab Academia regia ſcientiarum Pariſienſi in conventu die octauo Maii, 1784, in locum MACQUERI Cl. QUATREMERE DISJONVAL electus eſt, quem in phyſica aeque ac chemia egregie verſatum eſſe conſtat.

Cl. FRIDER. GVIL. WEIS, M. D. Gottingenſis, opere cryptogamico plantarum Gottingenſium, atque botanica foreſtali celeberrimus, Rothoburgum vocatus atque archiater Landgravii Haſſiacarum Rothoburgicarum terrarum factus eſt.

Cl. P. B. C. GRAUMANN Bützouii ſucceſſit in locum Dethardingii, Profeſſor Medicinae ibi factus.

Cl. STARKE, M. D. Profeſſor Medicinae Ordinarius ſupra numerum *Ienae* ordinarium factus locum ſimul cum facultate vota dandi in Senatu academico obtinuit.

Mortui ſunt:

d. 15. Maii. Lutetiae Pariſiorum Cl. Antonius COVRT DE GEBELIN, opere, *monde primitif analyſé et comparé avec le monde moderne* inſcripto, celeber. Natus erat *Nemauſi*, anno 1725.

d. 16. Iun. MDCCLXXXIV. Quedlinburgi, FRIDERICVS GUILIELMUS RITTER, Archiater Principiſſae Boruſſicae ANNAE AMALIAE, M. D. vir doctrina et praxi felici celeber, anno aetatis trigeſimo octauo.

Aeſtate anni 1784 *Neapoli* Cl. IO. BAPT. DELLA TORRE, Bibliothecarius regius, Inſpector muſei primarius, atque machinarum phyſicarum director. Dedit *hiſtoriam phaenomenorum circa Veſuuium obſeruatorum.*

Septem-

Septembri anni 1784 Lutetiae Pariſiorum Cl. DAVID, Chirurgus primarii noſocomii Deo dicti, annos quadraginta et aliquot natus.

d. 15 Septembris, *Halae* D. I. A. WOLFAHRT, Profeſſor medicinae, anno aetatis ſeptuageſimo tertio.

d. 9 Octobris, anni 1784 *Bützowii*, Cl. DETHARDING, Conſil. aulicus, D. et Prof. medicinae Publicus, natus erat anno 1699 *Roſtochii*.

d. 11 Octobris, Argentorati meritiſſimus atque celeber Anatomicus IO. FRIDER. LOBSTEIN, Prof. Anatomiae, anno aetatis quadrageſimo quinto, hydrope pectoris laborans.

d. 24 Octobris Brunſwigii, Cl. HAUSMANN, Med. D. Aſſeſſor collegii ſupremi ſanitatis et ſecretarius, et Anatomiae Profeſſor, trigeſimo aetatis anno. Edidit vberiorem deſcriptionem methodi Hawkinſianae lithotomiam faciendi.

d. 7 Decembris anni 1784 *Berolini*, FRID. HERM. LUDOVICUS MUZEL, Regi Borruſſorum a conſiliis intimis, et archiater, anno aetatis ſexageſimo nono.

d. 15 Decembris, anni 1784 NATHANAEL MATTHAEVS WOLF, Medicinae Doctor, Societatis Londinenſis et Gedanenſis ſocius, hectica febre emaciatus. Non in arte medica ſolum, verum etiam in Botanica et Aſtronomia inclaruit. Eius ſumtibus obſeruatorium, libris inſtrumentisque praeditum, exſtructum eſt, atque ſummam 4000 numorum aureorum donauit, vt profeſſor Aſtronomiae inſtitueretur, mineraliumque et herbarum ſiccarum ſplendidam collectionem ſocietati phyſicae Gedanenſi in donum dedit. Iuſſit denique corporis demortui vaſa ſanguinea cera repleri et ſub obſeruatorio ſepeliri. Auctor eſt libri Genera et ſpecies plantarum, vocabulis characteriſticis definita 1781.

d. 21 Ian. anni 1785 *Lubecae* Cl. ADOLPH FRIDERICVS VOGEL, Medicinae Doctor, Practicus et Chirurgus experientiſſimus.

Eodem menſe Cl. SCHWENKE, Profeſſor Botanices *Hagae comitum*, aetate prouecta.

d. 26. Decembris, anni 1784, Hafniae, Celeberrimus OTHO FRIDERICVS MÜLLER, Regi Daniae a Conſiliis Conferentiae, Academiae Imperialis Petropolitanae, Regiae Hafnienſis, Holmienſis, aliarumque Academiarum ſocietatumque membrum, vir ſolertia atque obſeruandi acumine meritiſſimus. Praeclara ſunt Ipſius in zoologia, praeſertim in hiſtoria vermium, inuenta, atque mors improuiſa eum, dum in edenda *hiſtoria entomoſtracorum* occupatus eſſet, ſuis atque orbi eruditorum praeripuit.

Non poſſumus ſilentio praeterire piam Cl^{i} BROUSSONET, Medicinae Doctoris, et membri Academiae Montispeſſulanae erga merita PETRI RICHERI DE BELLVAL mentem, qua Academiae *Montiſpelienſi* 300 libras Gallicas commiſit, quod praemium ei tribuendum erit, qui optimum, iudice Academia, elogium dicti viri, quondam Profeſſoris Botanices et Anatomiae in eadem Academia tradiderit. Eſt ille, qui opus botanicum, quod adhucdum manu ſcriptum reſeruatur, reliquit, hortum botanicum fundauit, multisque aliis meritis inſignis eſt. Elogia, ante Calendas Octobris, anni 1785 ad Cl^{m} DE RATTE legibus cognitis, mittantur.

Coluit nuper ordo medicus Lipſienſis memoriam Magnifici ANTONII GVIL. PLAZII, oratione anniverſaria, habita die XXVI Februarii, anni MDCCLXXXV ab ERNESTO BENJAMIN GOTTL. HEBENSTREIT, atque ſimul publici iuris reddidit vitae curriculum, ab ipſo PLAZIO conſcriptum, quod,

vt et nos piam erga beatum Virum declaremus mentem, eiusque meritis memoriam dignam faciamus, hic repetere libuit, quod quidem omnibus lectoribus gratum fore ſperamus.

Vita D. ANTONII GVILIELMI PLAZII.

Arrogantiae eſt praeclare, Negligentiae parum, Stultitiae, nihil de ſe ſentire.

EGO, ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ, in hanc mundi lucem prodii *Lipſiae*, praeſtantiſſima Muſarum ſede, celeberrimoque Saxoniae emporio, ipſo anno ſeculi huius *octauo* ineunte. Parentibus ganiſus ſum munerum ſplendore atque generis nobilitate illuſtribus, Patre D. ABRAHAMO CHRISTOPHORO, in Mockau, Alten et Ploeſen hereditario, Potentiſſimo Poloniarum Regi, Saxoniae Electori, FRIDERICO AVGVSTO I. a Prouocationum conſiliis, ſupremae Curiae Prouincialis Aſſeſſore, Scabinatus Electoralis Seniore, ciuitatis Lipſicae Conſule Primario, Templi atque Scholae Nicolaitanae Curatore, anno 1658. d. 18. Apr. nato, anno 1728. d. 25. Sept. vita functo; Matre ANNA MAGDALENA, D. BARTHOLOMAEI LEONHARDI SCHWENDENDOERFERI, magni ſuo tempore ICti, Profeſſoris Publici Ordinarii, ſupremae Curiae Prouincialis, Facultatis Iurisconſultorum atque Academiae Senioris, Eccleſiae Cathedralis Merſeburgenſis Decani, filia natu minore, anno 1712. d. 8. Aug. praematuro nimium fato mihi erepta. Auus paternus mihi fuit CHRISTOPHORVS PLAZ, Auguſtae Vindelicorum natus, Lipſiam poſthac ſeſe recipiens, ibique mercaturam felicissimo cum ſucceſſu faciens. Auiam habui VRSVLAM CATHARINAM, D. ABRAHAMI TELLERI, ad div. Thomae Paſtoris et Conſiſtorii Lipſici Aſſeſſoris, ex DOROTHEA, nata BIERLINGIA, filiam natu maiorem. Proauus paternus, ANTONIVS PLAZ, fuit nobilis negotiator Auguſtanus,

Pro-

Proauia, ANNA MARIA, e gente SCHANDERNELLIA. Matre cariſſima orbatus cum anno 1713 d. 27. Dec. ad tertia vota transiret pater, atque tori ſociam MARGARETAM REGINAM, e celebri gente PACKBVSCHIA ſibi cooptaret, huius educationi commiſſus maternae propenſionis haud vulgaria me accepiſſe documenta gratus adhucdum recordor. Maxima vero parentis, media inter grauiſſima negotia vigilantiſſimi, in eo poſita fuit cura, vt mature tamſanctiſſimae religionis rectis principiis imbutus, quam humaniorum literarum ſolida cognitione inſtructus et mihi et aliis aliquando vtilis efficerer. Singularis vero mihi contigit felicitas, inter rariores vtique ponenda, atque ſemper poſtea et nunc adhuc ſapientiſſimae prouidi Numinis directioni grata a me habita, quod *vnicus* ſaltem a prima pueritia ad academicae vsque vitae periodum mihi fuerit praeceptor, cuius fideliſſima inſtructione vſus prima literarum elementa omnesque, quae ad altiora ſtudia ducunt, diſciplinas, ſerie haud interrupta, ediſcere potuerim. Veneror eapropter gratiſſima, poſt fata adhuc, pietate indefeſſam Magnifici atque Summe Reuerendi b. IOANNIS CHRISTIANI HEBENSTREITII, tunc Philoſophiae Magiſtri, poſthac concionatoris Sabbatici Nicolaitani, dein lycei Thomani Conrectoris, poſtmodum Linguar. Oriental. Prof. Ordinarii, denique S. S. Theol. Doctoris et Profeſſoris primarii, Decemuiri, Eccleſiae Cathedralis Miſenenſis Canonici, Maior. Princip. Coll. ſocii et Nationis Miſnicae Senioris, anno 1756. d. 5. Dec. pie defuncti, in me per integrum decennium ab anno 1713 informando collocatam laudatiſſimam ſollertiam, tanto minus a me hic ampliore praeconio extollendam, quanto certius penes omnes conſtitit, quanta cum contentione, grauitate atque prudentia HEBENSTREITIVS omnibus ſuis muneribus praeeſſe conſueuerit. Huius adeoque fideliſſimae debui inſtructioni, quod decimo quinto aetatis anno

ad academica pergere potuerim ſtudia, ad quae, ut ne prorſus immaturus accederem, puer adhuc tam diſputatoriis quam oratoriis exercitiis ingenium ad ſublimiores praeparaui disciplinas. Florebat nempe tunc conſortium quoddam puerile diſputatorium et oratorium, ſub moderamine M. CAROLI FRIEDERICI PEZOLDI, Scholae Thomanae Collegae tertii, quod ingenioli ſui vires, pro aetatis modulo experiebatur, cuius inſtituti non ſatis commendandi vberrimos fructus poſtmodum non ſine voluptate perſpexi. Orationem ſolennem in Schola Nicolaitana anno 1718. d. 6. Decembr. *de belli incommodis* in actu quodam publico recitaui. In ciuium academicorum numerum anno 1713. d. 22. Mart. Rectore Illuſtri HOFMANNO receptus, mox philoſophicas ſcholas GEORGII PHILIPPI OLEARII, FRIDERICI MENZII, IO. CHRISTIANI LEHMANNI, et LVDOVICI CHRISTIANI CRELLII adii, a quibus etiam phyſicam accepi, diſputationibus vero philoſophicis ſub moderamine praeceptoris mei optimi, HEBENSTREITII, atque IENICHII habitis interfui. Iam cum de ſtudii genere eligendo mihi nunc eſſet cogitandum, me animum arti medicae applicaturum, parenti, nihil tale opinanti, ſignificabam, a quo tamen conſilio tanto minus me exiſtimabat auocandum, quanto magis intempeſtiuam parentum improbabat moroſitatem atque duritiem, qui iniquum in liberorum ingenia et propenſionem ſibi arrogarent imperium. Deſiderio potius meo beneuole annuens, praeceptores quoque mihi cupiebat eſſe doctrina praeſtantiſſimos, inter quos SCHACHERVM et WALTHERVM, priorem Facult. Med. Decanum, alterum Anat. et Chirurg. Profeſſorem, illius poſtmodum ſucceſſorem, primo ponendos iudicabat loco, quorum inſtructione quinquennium adiutus, omnes artis ſalutaris diſciplinas edidici, WALTHERO potiſſimum duce complurium cadauerum in theatro anatomico incidendorum opportuni-

ta-

tatem nactus, atque ad expeditiſſimam in artificio nitide praeparandi facilitatem formatus. Cumque haud vulgari quoque in rem herbariam me trahi intelligerem amore, ex AVG. QVIR. RIVINI ſcholis proficere ſtudui, quo tamen ipſo anno eunte mortuo, ex familiari commilitonis mei, IO. ERNESTI HEBENSTREITII conſuetudine atque frequentioribus cum ipſo factis excurſionibus non leues cepi fructus. Neque tamen reliquas artis medicae doctrinas negligendas eſſe intelligens, Chemiam a QVELMALZIO accepi, praxin vero clinicam prudenter exercendi rationem KÜCHLERO praeeunte edoctus fui; medicinae forenſis dogmata BAVERVS expoſuit. Non vero auſcultando ſolum tempus academicum a me conſumi cupiebat pater prudentiſſimus, quin potius vt publicis etiam ſpeciminibus editis profectuum meorum redderem rationem, aliisque exemplo eſſem, aequiſſimo ſtatuebat conſilio. Primo itaque ſtatim academicae vitae anno, ſuperato tentamine, ab Ampliſſimo Philoſophorum Ordine inſtituto, primae laureae honores tuli, in qua panegyri ſpecimine graeco *de artis medicae eminentia* diſſerui. Ad ſtudia nunc alacrius proſequenda excitatus, cum inſigni diſputatoriorum exercitiorum tenerer amore, Baccalaureus adhuc quinquies ex cathedra philoſophica varia argumenta propugnaui. Praeſide vero praeceptore meo HEBENSTREITIO, anno 1725. menſe Febr. Diſſertationem *de corporis humani machina diuinae ſapientiae et prouidentiae teſte* defendi, octiduo elapſo Philoſophiae Magiſter creatus, cuius dignitatis immunitates altera Diſſertatione, *practica prioris parte* eodem adhuc anno obtinui. Factorum dein etiam in re medica profectuum ſpecimen editurus, anno 1726. Praeſide BAVERO *de vſu medico exercitiorum corporis, illuſtribus praeſertim familiarium*, ex cathedra medica diſputaui, ſub cuius quoque moderamine in publico collegio diſputatorio tam reſpondendo quam oppo-

nendo phyſiologicis potiſſimum argumentis diſqui-rendis operam dedi, ita vt rite ſic praeparatus atque ſub finem anni 1726 ab Ordine Medicorum ad examen theoreticum admiſſus, Baccalaurei medicinae honoribus exornarer. Anno 1727. Diſſertationis *de tabaco ſternutatorio* propugnandae ergo altera vice ſuperiorem cathedram philoſophicam conſcendi, quodque reliquum eſſet academici temporis ſub Ill. WALTHERI directione cadaueribus ſecandis impendi, ad alterum practicum examen acceſſurus atque Doctoris gradum in academia patria ſumturus. Patris tamen triſti morte ſuperueniente, et, quod non diffiteor, aliquem commilitonem cunctantem praeventurus, ad conſilium ſubito mutandum adactus, HALAM ſeceſſi, ibidemque ſuperatis examinibus conſuetis, habitaque Diſſertatione *de tuſſi infantum epidemica*, d. 18. Oct. 1728. a MICHAELE ALBERTI Doctoris cepi gradum. Mox in patriam reuerſus ſcholas aperui medicas, atque mature academiae vtilis futurus in explicandis potioribus medicinae diſciplinis vires experiri coepi, non intermiſſis exercitiis diſputatoriis tam priuatis quam publicis anno 1732. et 1736. inſtitutis. Morte praematura nobis anno 1733. erepto CASPARO BOSIO, Profeſſore Botanices extraordinario conſtituto, ſingulari regia clementia in eius locum ſucceſſi, poſtquam iura Doctoris Lipſici atque poteſtatem in Facultate medica locum ſuo tempore tenendi Diſſertatione ſolenni *de potus Coffi abuſu noxio* indeptus fueram; quo officio praeſtito, praemiſſo Programmate *de plantarum radicibus*, Oratione aditiali munus mihi demandatum d. 17. Iul. anno 1733. auſpicatus ſum. Anno 1748. clementiſſime iubente Potentiſſimo Rege ex Misnica in Saxonicam translatus Nationem, ſequente vero anno Ordinarius Botanices Profeſſor declaratus, in Profeſſorum Ordinariorum cooptatus fui Collegium, anno 1753 die Georgii primum Rector electus. Anno 1742. Academia Caeſareo Leopoldina Naturae Curioſorum

forum me ſuum eſſe voluit ſocium, cognomine PLISTONICI II. honoratum. Anno 1754. BAVERO d. 22. Dec. demortuo, d. 28. eiusdem menſis locum in Facultate medica obtinui. Anno 1744 poſt Ill. GÜNZII, archiatri regii, obitum, Phyſiologiae Profeſſor Ordinarius conſtitutus, praemiſſo *de plantarum plethora* Programmate, d. 17. Oct. munus mihi clementiſſime concreditum adii, ipſo ad annum 1758 vsque functus, quo tempore poſt HEBENSTREITII Decani et QVELMALZII, huius per decendium ſucceſſoris, fata, Anat. et Chir. Profeſſor, paucis vero diebus elapſis Pathologiae Profeſſor conſtitutus, in Maioris Principum collegii ſociorum numerum receptus, Decemuir electus atque Facultatis medicae Senior declaratus fui. Succedebat QVELMALZIO veteranus meus amicus, LVDWIGIVS, poſt tria tamen luſtra anno 1773 d. 7. Mai. nobis ereptus, cui ego ſucceſſor menſe Iunio fui datus. Anno 1770. WINKLERO mortuo, Natio Saxonica me ſuum eſſe voluit Seniorem. Praeter Recturam aeſtiuam anno 1753 mihi traditam, anno 1757. 1761. 1765. 1769. 1771. 1775. et 1779. eidem muneri praefui, anno 1765 eapropter maxime illuſtri, quod SERENISSIMO ELECTORI placeret Vniuerſitatem noſtram ſua primum dignari praeſentia, quo tempore coram IPSO in bibliotheca academica de *diaeta principum* mihi diſſerendum fuit. Longe vero ſplendidior quinta mea fuit Rectura, cum anno 1769 die 2 Maii, in ſolennitate homagii praeſtandi coram ſolio Electorali mihi publica fides Vniuerſitatis noſtrae nomine ſtipulanda, atque ſincerrima pro PATRIS PATRIAE ſalute vota eſſent facienda. Anno 1773 a Magnifico tunc Rectore BORZIO poſt exacta decem luſtra in ciuium academicorum numerum denuo receptus: atque biennio poſt in ſolenni panegyri Magiſteriali, Decano Spectatiſſimo ERNESTIO Magiſter ſemiſecularis iterum renunciatus ſui, eodem anno poſt obitum S. R. CRVSII, Senior Academiae

factus. Anno 1778 menſe Oct. cum ſolennia Doctoralia ſemiſecularia publico actu medico inter amiciſſima vota Collegarum coniunctiſſimorum celebrarem, ab Vniuerſitate HALENSI transmiſſo ſplendido Diplomate Doctorali honoratus atque iterum ex valuis publicis Doctor renunciatus fui.

Res domeſticas quod ſpectat, coniugium inii anno 1729 d. 1 Iun. cum lectiſſima virgine MARIA MARGARETA, ADOLPHI FRIDERICI HOFMANNI, negotiatoris probi atque felicis filia vnica, duarum filiarum, RAHELIS MARGARETAE et HENRIETTAE MAGDALENAE matre. Coniuge hac paucis a puerperio ſecundo diebus anno 1732 d. 6 Iul. mihi erepta, ad ſecunda tranſii vota, anno 1733. d. 17. Febr. cum ornatiſſima virgine CHRISTIANA MARGARETA, HENRICI FRIDERICI ENGELSCHALLII, villarumet praediorum Senatoriorum iura adminiſtrantis filia vnica inita, quatuor liberorum matre, REGINAE WILHELMINAE, ANTONII HENRICI, CHRISTIANAE SOPHIAE et MARGARETAE SOPHIAE, cum qua fidiſſima vitae meae ſocia anno 1783 iubilaeum gamicum celebrandi rariſſima mihi felicitas contigit.

Ceterum, quae ſumma Dei fuit gratia, admodum conſtante corporis valui robore, vtpote nihil minus quam molliter educatus. Superatis enim anno 1715 variolis, quarum eruptionem enormes haemorrhagiae triduanae comitabantur, aliisque praeterea puerilibus morbis feliciter debellatis, ad triceſimum vsque aetatis annum nihil quidquam moleſtiarum ex aduerſa valetudine ſenſi, niſi quod nunquam vel leuiori frigori ferendo me parem intelligerem, cum viciſſim intenſiſſimum calorem, quod omnes norunt, absque vllo ſemper tulerim incommodo, alacrior inde potius, cum alii languerent, factus, quam raram temperiem an illi a vino debuerim abſtinentiae, quae quaſi natiua mihi fuit, haud incaſſum forte auguror. Anno autem 1737. vere ineunte ſubito arthriticis vagis corri-

piebar

piebar doloribus, duarum tamen ſeptimanarum ſpatio elapſo diſparentibus, a quo tempore ad annum 1751 vsque ex vota valui; die vero 21 Aug. dicti anni nihil plane ſiniſtri opinantem, dum lectionibus botanicis in horto medico vacabam, ſubitaneus febrilis horror cum repentina virium proſtratione inuadebat, quem gravior aeſtus, vomitiones, ſenſuum perturbationes atque contumaciores conuulſiui motus excipiebant, febris malignae diriſſimi praenuncii et comites, quos inſequebatur purpura alba vera, adeo vt fatalem huius morbi fore exitum nullus dubitans ſarcinulam colligerem, euentu tamen metui haud reſpondente. Decani nempe HEBENSTREITII atque amantiſſimae coniugis poſt Deum debui ſollertiae, atque diurnae nocturnaeque vigilantiae, quod ſex hebdomadum periodo finita, priſtinis viribus recuperatis, atrociſſimum eluctarer morbum. Non minus anno 1757 ſub ſecundae Recturae finem febre exanthematica acuta inuadebar, qua ſuperata, ex metaſtaſi ad oculos facta inter enormes dolores pertinaciſſimamque oculorum inflammationem viſus metuebam iacturam, vano tamen metu, cum, etiamſi aliquot adhuc vicibus morbus hic ocularis recurreret, nihil tamen detrimenti ex viſu ſenſerim, quem mihi adhuc, dum haec ſcribo, (menſe Octobri 1783) integerrimum eſſe, nullo vitro oculari iuuandum, inter ſumma diuina pono beneficia.

Omnium vero a munificentiſſimo Numine in me collatorum innumerorum beneficiorum gratiſſima atque deuotiſſima mente memor, me his quoque indignum fuiſſe profiteor, qui praeceptorum diuinorum frequens violator viam ſalutis ſaepe deſerui. Supplex tamen coeleſtis Patris veneror clementiam, qua me quoque immorigerum ſubinde atque peccatorum maximum ineffabili nihilo minus cum patientia tulit atque reuertendi tempus benigniſſime conceſſit.

Tuus fuit, aeterne et misericors humani generis Protector, in me quoque amor, quo me in Filio Tuo dilectissimo amasti, cuius nec in me incassum collocatum voluisti sanctissimum meritum. Ne auertas Tuam a me faciem, neque per omne, quod supereſt, breuis et miſellae vitae tempus, me prouida Tua defere tutela. Ne auferas Spiritum Tuum Sanctum a me, qui perpetuus in illecebroſo hoc mundo mihi comes, magiſter, monitor, cuncta mea facta dirigat, fidem meam ſtabiliat, amorem Tui augeat, atque tandem hac mortalitate exiturum ad beatiſſimas ducat ſedes, meque in eorum numero eſſe efficiat, qui perennibus laudibus Tibi: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Deus Zebaoth!* occinunt, atque ſempiterno maieſtatis et gloriae Tuae adſpectu exhilarati, nomen Tuum in aeternitatum aeternitates celebrant. Tuere academiae ſplendorem, Ordinis mei honorem, vrbis felicitatem, meorum ſalutem.

Ita laetus Iudicis pacati aduentum exſpecto, ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ.

Scripſi die XVIII. Oct. A. R. G. MDCCLXXXIII.

M. T. Θ. Δ.

Scripſi

Scripta Plazii

Dissertationes.

De corporis humani machina, diuinae sapientiae teste 1725
— — — Pars altera practica - - 1725
De vsu medico exercitiorum corporis, praesertim personis illustribus familiarium - 1726
De tabaco sternutatorio - - 1727
De potus Coffé abusu noxio - - 1733
De foliis plantarum - - - 1740
De caule plantarum - - 1745
De morbis ex munditie - - 1746
De munditiei affectatae incommodis - - 1747
De morbis ex oblectamentis I. - - 1748
De flore plantarum - - 1749
De morbis ex oblectamentis II. - 1749
De morbis ex oblectamentis III. - 1750
De sanitatis publicae obstaculis - 1753
De partu debili reficiundo - 1754
De oblectamentis illustrium noxiis - 1759
De therapia per iucunda - - 1760
De therapia per iniucunda - - 1762
De vulgatiorum remediorum vsu non reiiciendo 1763
De morbis ex vitae genere I. - - 1764
De medico audace - - 1766
De remouendis sanitatis publicae impedimentis - 1771
De amoliendis sanitatis publicae impedimentis - 1771
De sensibus, morborum causis - 1772
De sensibus internis, morborum causis - 1772
De curatione per iniucunda - - 1773
De morbis ex vitae genere II. - - 1774
De medicina morbos faciente - - 1776
De chirurgia morbos faciente - - 1777
De ineuitabilibus morborum causis - 1778
De subitaneis morborum causis - 1778
De salubritate et insalubritate habitationum - 1781
De humoribus, morborum causis - 1783

Programmata.

De artis medicae incrementis - 1732
De radice plantarum - - 1733
De seminibus plantarum - - 1736
De brutorum imaginatione - - 1749

De ple-

De plethora plantarum . . . 1754
De natura plantas muniente . . . 1761
De virtutibus plantarum ex ipsarum charactere non addiscendis I. . . . 1762
— II. . . . 1762
— III. . . . 1763
De paedantismo medico I. . . . 1762
— — — — — II. . . . 1762
— — — — — III. . . . 1763
— — — — — IV. . . . 1764
De saccharo veterum . . . 1763
De plantarum sub alieno coelo nascentium cultura 1764
De signis mortis non solute explorandis I. . . 1765
— — — — II. . . 1766
— — — — III. . . 1766
— — — — IV. . . 1767
— — — — V. . . 1767
De voluptatibus, studiorum impedimentis . . 1767
Non omnia in re medica bono fieri exemplo I. . 1768
— — — II. . 1771
De sostris 1768
De mortuis curandis . . . 1770
De empiricis . . . 1771
De piis medicorum desideriis . . 1772
De arte naturam superante . . . 1772
De abortibus medicis . . . 1772
De scrupulositate medica . . . 1772
De ὀνοματοδοσίας medicae difficultate . 1773
De minutiis, non semper a medico posthabendis I. 1773
— — — — II. 1774
De non semper mortifera funiculi vmbilicalis intermissa deligatione . . . 1774
De medicina per hypotheses corrupta . 1774
De erroribus medicorum secantium vincibilibus . 1775
De putredine a corporibus arcenda . 1775
Subitaneae super variis argumentis medicis cogitiunculae I. 1775
— — II. . . . 1778
De erroribus medicorum inuincibilibus . 1776
De iuribus medicorum . . . 1776
De medicina polemica . . . 1776
De causis contemtus medicinae . . 1777
De magiae vanitate I. . . . 1777
— — — — II. . . . 1777
De mirabilibus in re medica . . . 1777

De fama per doctrinam augenda - - 1778
De inconſtantia medica - - 1778
Series Decanorum Facult. medic. Lipſ. continuata 1778
De natura non fatiſcente - - 1779
De magnetiſmo et electricitate faſcini experte - 1779
De exiguo ex medicina lucro - - - 1780
De medicae vitae commodis et incommodis - 1781
De medicina ſupra iurisprudentiam aeſtimanda - 1782
De licentia medica - - 1782
De longaeuitatis impedimentis I. - 1782
— — — — — — II. - 1783
Priſcae et recentioris Medicinae commendatio - 1783
De ſcientiae naturalis dulcedinibus - - 1783

Orationes typis exſcriptae.

De coelibatu, medicis fugiendo - - 1767
De feminarum in medicinam imperio - 1768
De veſte Doctorem non faciente - 1768
De ſplendida medicorum miſeria - 1770
De Thalia medicinae miniſtrante - 1771
De Galeno opes dante - - 1771
De praepoſtero medicinam rationalem addiſcendi
conſilio - - - 1772
De arte, naturam ſuperante - - 1772
De medico omnium audaciſſimo - - 1773
Feminas homines eſſe - - - 1774

Con-

XXXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1779 prodierunt.

I. B. MORGAGNI de ſedibus et cauſſis morborum per anatomen indigatis Lib. V. cura Tiſſot. III. Volumina. Yverduni, 4.

P. S. MORGENSTERNS *Unterricht für Hebammen zum Gebrauch ſeiner Vorleſungen. Magdeburg*, 8.

A radical and expeditious cure for a recent catarrhous cough a Chapter on the vis vitae ſtrictures on the treatment of compound fractures by JOHN MUDGE. Lond. 8.

Lettre a Mr. le Chevalier de Born, ſur la tourmaline du Tirol, par M. MÜLLER — traduction de l'allemand, augmentée de pluſieurs notes de l'éditeur *(M. de Launay)* A Bruxelles, 4.

O. F. MÜLLERI deſcriptiones et hiſtoria animalium rariorum ac minus notorum. Vol. I. Lipſ. 8. *(vid. comment. noſtr. Vol. XXIV.* p. 396.)

Ej. Zoologiae Danicae iconum Faſc. I. Lipſ. fol. *(vid. ibid.)*

Ej. Florae Danicae faſc. XIV. Ibid. fol.

I. A. MURRAY Apparatus medicaminum. Volumen II. Gott. 8. maj. *(vid. comm. noſtr. Vol. XXIII.* p. 260.)

Ej. *medicinſch-praktiſche Bibliothek, 3ten Bandes 1tes Stück. Ebend. 8.*

Ejusd. Diſſ. ſiſtens ſpinae biſidae ex mala oſſium conformatione initia. Gött. 4.

Ejusd. Diſſ. de hepatide maxime Indiae orientalis. ib. 4.

Ejusd. Obſervationes et animadverſiones ſuper variolarum inſitione, ib. 4.

Guiſtonian Lectures read at the College of Phyſicians by S. MUSGRAVE, Lond. 4.

A tre-

A treatiſe on the Hydrocele. By LAWRENCE NANNONI. Lond. 8.

Hiſtoire naturelle dn Tuſſilage et du pétaſite pour ſervir à la phytologie du Rhein et des dnchés de Iulièrs et de Berg. Par M. NECKER, à Mannheim, 4.

A Catalogue of the Plants in the Garden of I. BLACKBURN: arranged according to the Linnean ſiſtem by AD. NEELE. Lond. 8.

Is. NEWTONI Opera quae exſtant omnia. Commentario illuſtrabat SAM. HORSLEY. Lond. 4.

E. G. NICOLAI *Pathologie VI. Theil* Halae, 8. (priores partes vid. comm. noſtr. dec. III. Suppl. p. 22. et Vol. XXII. p. 334. 452.)

Déſcription de l' Arabie, d' après les obſervations et les rècherches faites, dans le pays même. Par M. NIEBUHR. Nouvelle Edition en 2 Volum. A Paris, 4.

Deſcripcion natural, politica y economica de Eſpaña. Por Don FRANC. MARIANO NIPHO. In Madrit, 4.

Précis ſur la nature des maladies produites, par le vice des humeurs lymphatiques, leurs differentes eſpeces et le traitement qui leur convient. Par M. NOEL. A Paris, 8.

I. I. NOLTENS *Bemerkungen von Steinen, welche in den Harngängen zwiſchen den Häuten der Urinblaſe gefunden worden. Caſſel, 8.*

K. W. NOSENS *Abhandlung von Mennigbrennen, beſonders in Deutſchland. M. K. Nürnberg, 8.*

Dictionnaire hiſtorique et géographique de la Province de Brétagne; dedié à la Nation Brétonne par M. OGE'E. à Nantes et Paris, , Tome II. 4. maj.

(Reliqua proxime.)

Con-

Contenta in hac parte.

I. Acta medicorum ſuecicorum, Tom. I. - - p. 387
II. CH. FR. REVSS primae lineae encyclopaediae medicae p. 391
III. ED. SANDIFORT anatome infantis cerebro deſtituti p. 395
IV. ADOLPH. MURRAY diſſ. in gangraenam ſcroti obſervatio p. 396
V. IO. CHRIST. TRAVG. SCHLEGEL collectio opuſcull. ſelectorum ad medicinam forenſem. Vol. I. - p. 398
VI. First lines of the practice of Phyſic etc. by WILL. CULLEN - - p. 399
VII. Diſſertations on ſelect ſubject in chemiſtry by MARTIN WALL - - p. 405
VIII. *Verſuche mit Queckſilber von* I. PRICE - p. 407
IX. *Abhandlung über die Bereitung des Brechweinſteins von* I. G. A. HÜPFNER - - p. 411
X. ROEDERER et WAGLER tractatus de morbo mucoſo, editus ab H. A. WRISBERG - - p. 414
XI. *Beobachtungen der epidemiſchen Krankheiten von* L. F. B. LENTIN - - p. 417
XII. (*Vden*) *Magazin für die gerichtl. Arzneykunde und mediciniſche Polizey* - - p. 420
XIII. Gazette de Santé *von* IO. H. RAHN - - p. 423
XIV. *Aufſätze aus der gerichtl. Arzneywiſſenſchaft von* I. T. PYL. *Erſte Sammlung* - - p. 426
XV. IO. DAN. METZGERS *Grundriſs der Phyſiologie* - p. 429
XVI. De limitandis laudibus moſchi, auctore B. L. TRALLES p. 434
XVII. PETR. I. VASTAPANI de china china in ſynochis p. 439
XVIII. WENC. TRNKA DE KRZOWIZ, hiſtoria febris heticae - - - p. 443
XIX. ERN. ANT. NICOLAI *Sammlung von Beobachtungen* etc. - - p. 447
XX. Nouveaux Mémoires de l' Academie de Dijon. Premier ſemeſtre. - - - p. 453
XXI. PLATTNERI inſtitutiones chirurgiae rationalis, edidit CAR. CHR. KRAUSE - - p. 463
XXII. Vroedkundige Oeffenſchool door IACOBS - p. 469
XXIII. De cholelithis obſervationes D. HENR. FRID. DELIUS - - - p. 479
XXIV. THUNBERGII diſſ. novas inſectorum ſpecies ſiſtens Pars I. II. - - - p. 483
XXV. I. G. WALLERIVS tal, om nödig jämförelſe emellan de chemiſka Vnderſökningar och Naturens werkningar - - - p. 495
XXVI. G. MERVLLA riflеſſioni ſulla natura, cagione e cura dei cancri - - - p. 498
XXVII. *Mediciniſch-praktiſche Beobachtungen, erſte Samml. von* Dr. HEINR. FEL. PAULIZKI - p. 508
XXVIII. Practical obſervations on venereal complaints by I. SCHWEDIAVER - - p. 515
XXIX. DE MEZA Compendium medicum practicum Vol. I. II. III. - - - p. 526
XXX. E. G. BALDINGERI ſelecta doctorum virorum opuſcula, in quibus HIPPOCRATES explicatur - p. 538
XXXI. Noua phyſico-medica - - - p. 541
XXXII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1779 prodierunt - - p. 558